PRAXIS MEDICA,

SIVE COMMENTARIUM

IN APHORISMOS

HERMANNI BOERHAAVE

De cognoscendis & curandis Morbis.

PARS QUARTA.

Editio tertia, aucta, & accuratissima.





LONDINI,

Sumtibus Societatis.

M. DCC. XXXVIII.




Morbi Acuti Febriles.

§. 765. PEr hoc intelligo omnes morbos, qui ortum ducunt ex causa fixa & permanente, quæ licet distincta sit à febre, tantum febrim facit, & quidem continuatam, quamdiu causa manet; hos morbos voco Febriles. Hi morbi sunt ejusdem naturæ, habent enim omnes, si Acuti sint, inflammationem, si Chronici, Cacochymiam, priores habent febrim & inflammationem pro causa, Febres dicuntur Acutæ, quia velociter decurrunt, secundum genus habet Cacochymiam, hoc est, malignitatem in corpore, quæ quando suppurationem habet, oritur Phthisis, hæc quando Icterum facit, vocatur febris Chronica, Icteritia &c. hæc complectitur omnes morbos Chronicos & febriles in se. Omnes febres jam sunt absolutæ, nam internæ & externæ inflammationes jam notæ sunt, quomodo mutentur vel in diaphoresin, vel in resolutionem, vel in suppurationem vel in gangrænam vel Sphacelum vel Scirrhum, dictum est, si jam attendatur ad reliquos morbos, nil differunt nisi primo loco & materia suscepta facilius vel difficilius expellenda; ad primum sit exemplum una inflammatio in manu, altera in cerebro, tertia in cerebello, in manu erit rubor, dolor punctorius, calor ingens, renitentia in parte, febricu-

la, aliud nihil, 2. erit tumor, rubor faciei, febris, delirium, si in cerebello videtur morbus esse malignus, cerebrum non sentit, æger moritur, quia nil spirituum moventium ad cor mittitur, in manu porro fiet suppuratio, apertio, expurgatio, & postea claudetur, sed in cranio hærebit, nec habebit exitum, sic pro loci diversitate diversæ sunt causæ; ad secundum facile vel difficile exire potest materia, ut in capite, unde morborum diversitates oriuntur; horum omnium idea est inflammatio, sed pars obsessa habet aliam functionem, ergo sequitur, ut hi morbi dicantur ex tot functionibus læsis, non ex causis lædentibus, putant omnes homines, quod quando inflammatio est in manu, & quando est in cerebro, quod differant, sed per cerebrum cogitamus non per manus, ergo morbus in causa Physica est idem, sed in functionibus non.

Tales. &c. Incipio à capite, in diaphragmate est Paraphrenitis, in ventriculo, Gastritis, hepate, Hepatitis, splene, Splenitis, intestinorum Enteritis, pluresque, in renibus Nephritis, vesica, Cystitis, Ureteribus, Ischuria, utero, Hysteritis, juncturis, Arthritis, externe Erysipelas, vel Variolæ vel Morbilli vel Anthraces &c. ut ante dixi. Tot varii morbi ab eadem causa, sed functionis, loci & evacuationis ratione diversi. Has operæ pretium erit examinare.

Phre-



Phrenitis.

§. 766. Phrenitis, aliis Phrenesis & Phreniasis indigitata est vocabulum Græcum à Latinis non translatum, originem ducens ἀπὸ τῆς φρενός, siquidem φρὴν mentem omnes nominarunt; mentem enim ægrotare atque affici dicebant veteres, cum partes animæ inservientes læsas esse viderent; hinc quoque cerebrum & diaphragma φρένες vocarunt, tanquam φρενοῦν, id est, sapienti parti conferat quippiam, iisdem verbis *Galenus* dicit, *Phrenitidem mortales omnes eam affectionem appellant, in qua mentem læsam esse videbant, quam νοῦν* & *διάνοιαν vocant*; putat autem *Aurelianus* Phrenitidem dictam fuisse à mentis difficultate, ut Dysuria à difficultate urinæ; *Celsus* vero insaniam febricitantum vocat. φρένες vocabant etiam Anatomici diaphragma, putabant enim veteres duplicem esse sedem animæ vel in cerebro vel in diaphragmate, si in capite esset, dixerunt Phrenitidem, si in diaphragmate Paraphrenitidem. *Phrenitis est delirium perpetuum, ferox cum febre acuta continua, ortum ab inflammatione cerebri & membranarum ejus.* Omnis Phreniticus prius delirat, sed in Phrenitide est perpetuum delirium, sed hoc delirium est ferox, ferox delirium vocatur, quod non modo cum obstinato animo, sed cum nocendi cupiditate seu sibi seu aliis conjunctum dicitur, accidit sæpe ut homo pro primo morbo habeat ferox delirium cum febre Acuta, vocatur Phrenitis Vera, si vero

post alium morbum ad cerebrum delatum vocatur παραφρενῖτις vel si princeps morbus circa diaphragma & postea ad cerebrum veniat πλευρεῖτις παραφροσύνη; id est, Phrenitis Symptomatica. Si quis laboravit valida Phrenitide, quarto die accedit delirium, quod vulgo vocatur Phrenitis, sed male hæc vocatur veteribus παραφροσύνη, quia materia febrilis per p æterlapsum transmigrat in cerebrum, vocatur etiam desipientia, non vero fluens Phrenitis; hic morbus differt à Melancholia & Mania per febrim acutam continuam, sic *Galenum* audimus, ubi dicit μαίνεσθαι *siquidem id est insanire, omnes homines dicunt eos, qui desipiunt citra febrim,* φρενιτίζειν *vero, qui cum febre id patiuntur*, à morbis soporosis per delirium perpetuum & vigilias: à simplici delirio in febribus Acutis sæpius aborto per ferocitatem, à Paraphrenitide cerebrum, ejusque membranæ afficiantur, in illa vero membranæ pleuræ pars diaphragma ambiens, vel & ipsum diaphragma, a ratione affectuum; in hac dolor capitis ingens internus, in illa dolor sentitur primario in diaphragmate, vel locis vicinis, in hac respiratio magna & rara; in illa parva & frequens; vox gravis in hac nunquam statim ab initio fit Hypochondriorum intro sursum contractio, dum id semper mox à principio in illa observatur.

§. 767. *Dolor capitis.* Si homines in summa Æstate in regionibus fervidis bene sani toto die caput soli exponant, sic ut calescant, maximopere dolebunt, incidunt in Phrenitidem Veram à cerebro affecto. Legimus in historia Galliæ Regem Henricum ignominia & contumelia affectum à Principe, cum ipse vellet esse Dux exercitus, ut Ducem debellaret, cum

vero esset æstiva tempestas & toto die Soli expositus incidit primo in capitis dolorem, & deinde in horrendam Phrenitidem. Hi morbi sæpe optimum corpus occupant, & in Asia, America, si homines æstum diu ferre cogantur, in tales morbos incidunt; hinc causa esse potest, quidquid obstructionem facit, sanguinemque in vasis cerebri, adeoque spiritus animales nimis exagitat ac movet, ut aër nimis calidus & siccus quatenus liquidissima dissipat, & avolare facit; reliquamque cruoris massam tam crassam reddit, ut per capillaria amplius transire nequeat; præsertim si ille aër ad caput determinetur; videlicet à radiis solaribus, quod veteribus insolatio dicitur, quale exemplum refert *Bonetus in Medicina sua Septentrionali.* Si aër nimis frigidus ex improviso corpus arripiens & præcipue caput valde excalefactum, aut fortiter perspirans, subito constringit vasa, & humores per intensum calorem extravasatos in illis vasculis non tantum retinet, sed & propellit, unde error loci &c. Excreta & retenta idem efficiunt, ut Hæmorrhoïdum in viris, Menstruorum in fœminis suppressio; tum capitis perspiratio subito inhibita.

Dispositio. Omnes homines, qui dispositi sunt, ut facile incidant in Pleuritidem & Peripneumoniam &c. facile Phrenitici fiunt. Si imprimis vero ille dolor est punctorius vel lancinans, tum est dispositio inflammatoria, rubedo oculorum & faciei, vultus torvus, facies vultuosa, ut dicit magnus *Hippocrates*, unde rubor vulgo dicitur ab obstructione in iis locis, sed hoc non ita est verum, at quia arteria Carotis obstructa, sanguis per cervicales pulsus per internas carotides transire nequit, hinc

plus fluit, per externos ramos carotidis, & plus rubent.

Somni turbulenti. In omnibus morbis, ubi primus impetus febris incipit habere somnum turbulentum, cogitate, quod adsit levis incipiens inflammatio, hæc si per dies aliquot perrexerit, dabit perfectam Phrenitidem, & desipientiam: *Hippocrates* dicit desipientia levis sensim increscens in Phrenitidem furibundam abit, homines primo leviter delirant, postea penitus desipiunt, non multum post incidunt in summum furorem, suum cerebrum vix sentiunt, sed morbus cognoscitur per functiones læsas, si ergo hoc in primo febris initio fiat, & adscendat, licet æger postea de capitis dolore non conqueratur, tum certum est, quod Phrenitis fieri incipiat. Somnus nimius & immodicus volatilia auferendo, reliqua inspissando, illa ad vasa capillaria accumulat, aggravat: hinc cerebrum & caput replet, maxime intempestivus & variis in locis captus, sic contra vigiliæ si nimiæ absumendo spiritus animales, non nisi quiete reparandos, & tenuissima corporis fluida, acres humores gignunt, unde huic affectui facile nascitur occasio.

Adolescentia. Huic ætati morbus hic est frequens, in senectute vero nullus forte est visus.

Calidorum usus. Abusus potus & cibi, quemadmodum est nimis calidus cibus & aromaticus, diu sæpe continuatus; potus halituosi ut vini generosioris & spirituosi, ut spiritus vini, imprimis ex seminibus oleosis, & inde repetita ebrietas. Opii intempestivi usus, aliorumque remediorum calidorum; motus nimius merito huc recenseri debet, cum motus muscularis quocun-

cunque modo factus sanguinis circuitum promovet, auget, & hinc omnia dicta producere potest.

Insolatio vocatur diuturna capitis æstivo Soli expositio, quando forte tempore æstivo per arenosa loca ambulavit homo, tum vesperi totam cutim faciei inflammàtam habet, si reflexio arenæ etiam hoc facere possit, quid faciet Solis actio nimis diu durans in mollem cerebri substantiam.

Vigiliæ sunt motus cerebri, hæ ergo nimis diu durent, inflammant cerebrum, hæ primo magnum dolorem capitis conciliant, deinde accedente febre Continua & Acuta Phrenitidem.

Ira summa licet furor brevis dicitur, perfectè tamen inde summum furorem, id est, Phrenitidem oriri Auctores observant, idem facit amor immoderatus & omni conamine, ardentique desiderio quæsitus

Mæror, ut vidi in optimis hominibus pressis per calamitates & conquerentibus sua infortunia penitus redditos fuisse Phreniticos. Non possum oblivisci casum, quem vidi: Vidua orbara suo marito relicta sine subsidiis, erat tranquilla, cum aderam, sed altero die accersebar ab ejus infantibus, ut viderem, quoniam eorum mater inquietam noctem egerat, vidi & tantum intelligentiæ aderat, ut delirium adesse animadvertere non possem, abivi & post unam vel alteram horam advocatus inveni eam sic, ut tota nuda cum furore debaccharetur (postea quidem sanata fuit, sed non sine exquisitissimis remediis contra morbos acutissimos, quia Melancholia in Phrenitidem abierat) *Hippocrates* dicit, mæstitiæ diu suppressæ in morbum peni-

tus contrarium abeunt; quando homines ingenuosissimi adversis fortunis jactati ægritudines & tristitias secum diu concoxerunt, nec manifestant, sed tantum inde habent magnam febrim, signum est, Phrenitidem esse metuendam. Terror vel motus gravis maxime ex improviso accedens eundem producit morbum, memini me novisse generosum juvenem ac robustum, qui ex terrore incidendi de nave in aquam adeo perculsus erat, ut paucos post dies, neglecta Venæ Sectione, in Phrenitidem delapsus sit lethalem.

Protervia. Si inverecundus fiat homo, qui ante meticulosus, si ferox, qui ante sedatus, si protervus, qui ante obsequiosus, brevi post Prhenitide laborabit, si videam ægrum & rogem, quomodo vales & respondet, quid tua refert, certi estote, quod tum intra unam horam erit ferox, hoc Medicum monere debet, ut tum adhibeat medicamenta contra Phrenitidem nondum natam.

Oblivio. Si petat poculum vel matulam vel simile quid, & si detur, dicunt, cur affertur poculum, & nescit se petivisse, intra horam laborabit Phrenitide.

Siccitas. Oculi pulverulenti, siccitas oris interni, faucium, narium, si inflammatio præcesserit, & collectio floccorum, venatio avicularum, raptus muscarum, hæc si adsint, notant Phrenitidem orituram. Huc quoque referuntur applicata, ut vapores, odores, suffimigia calidissima, imo venenata naribus apposita; sic linimenta, unguenta, emplastra, pinguia, ad capitis partes, quæ ea ferre nequeunt, applicata, unde primo Erysipelas, hinc inflammationes & Phrenitides ortas fuisse Practici te-

stan-

tantur, ſic ex ſola Odontalgia à cauſa externa frigida oborta, duobus parvis emplaſtris de Maſtiche &c. ad tempora applicatis lethalem Phrenitidem ſecutam fuiſſe obſervavi.

Non Pleuriticus, id eſt, non perfecte Pleuriticus, tunc denotat ibi abundare in ſanguine illud viſcidum inflammatorium, cui ſi ſuccedat perturbatio animi hoc denotat Phrenitidem Symptomaticam futuram.

Animi, id eſt, inflammatio ad arterias Intercoſtales ſine vero morbo diaphragmatis; ſi inflammatio diaphragmatis fiat, ubi adeſt Phrenitis, vocatur Paraphrenitis, hæc eſt peſſima omnium.

Urina & fæces. Hippocrates ubicunque nos docet, quod ſi æger in febribus habuerit urinam ſatis coloratam & craſſam & fæces alvinas & excrementitias ſatis coloratas, ſi reddiderit in illa febre fæces albas, ut in Ictero, urinam albam, ut in Hyſtericis & Hypochondriacis, erit intra duas horas Phreniticus, tum enim eſt decurſus & inverſio omnium humorum. *Urina ſuppreſſa* denotat tanto magis ferri ad ſuperiora. *Fæces albæ* ſine cauſa manifeſta, cum antea eſſent coloratæ. *Pallida* itidem niſi nullum potum hauſtum ſit. *Suſpenſo nigro*, quando olea & ſalia urinæ in diatheſin cadaveroſam eunt. *Signa* Hæc denotant præſertim ſiccitas partium internarum.

§. 768. Hic quæruntur omnia ſymptomata omnem Phrenitidem perfectam concomitantia, ſeu quæ ſigna præſentis ſunt hujus mali.

1. Eſt depravata imaginatio, tum leviter tantum delirant, ſæpe cum riſu & ſermone tantum inconcinno ac inepto, ut vix riſum teneant amici atque adſtantes, tum ſenſus de-

Pravantur, & ideas à caufis internis formant ac ante habuerunt de externis, perfuafionibus, tamen & rationi adhuc aufcultant, cum vero ratio læfa eft, pejus habent; fi jam affectus accedant, ita ut rapiantur in quamcunque fævitiem & offenfionem proprii corporis, vel & adftantium, eft peffimus, & quartus delirii gradus, adeft tinnitus aurium, omnia guftui apparebunt amara.

2. Ferocitas vocatur maximi motus lædendi vel fibi vel aliis, Phrenitis impetus eft maximus vindicandi fibi male acta, eft inquies perpetua in fomno, fæpe alta voce clamant, adeft dentium ftridor, ut fæpe per fragmenta rumpantur.

3. Pulfus durus vocatur, quando digitus appofitus arteriæ non patitur pulfus fe comprimi, & videtur tanquam baculus tranfire per arteriam, non vero liquidum, hoc tum fit, tam præ nimia ficcitate in arteriarum minimarum membranis, quam inflammatoria obftructione in capillaribus, accedit vis cordis, qua fanguis citius per vafa trajectum arteriarum latera fortius extrorfum pellit. Eft certe mirum, quod *Hippocrates* hic fecit, & ubique commemorat, hic *Profper Alpinus de præfagienda vita & morte* repetit hoc dogma, fæpe docens, quod fi æger febri Continua laboret cum levi delirio, & profunde refpirare incipiat, quod paulo poft Phrenitis fubfecutura fit, qui enim febri ardente laborant, citiffime refpirant, fi profunde & tarde refpirare incipiant, tum credite mihi, quod fecutura fit Phrenitis; qui non periti funt Diagnofeos morborum, putabant, ægros fuos tum optime fe habere, fed hoc fit, quoniam cerebrum fic afficitur, ut non fentiant moleftiam refpi-

respirationis, quoniam etiam tum sanguis collectus in pulmonibus maxima copia violentissima respiratione promovetur.

4. Si verus sanguis ex corde trajectus per arterias Vertebrales fluere impediatur, ibit per Carotides externas, hinc hic major rubedo oculi, labii, narium, & tota facies rubicundior apparet, hæc est propria imago Phreniticorum, quia quo plus sunt Phrenitici, eo magis inflammatur cerebrum, eo minus sanguis per cerebrum, sed magis per externas Carotides fluit, ut diximus in Apoplecticis, ubi pituitosi etiam fiunt valde rubicundi, & hujus ratio est clarissima, qnia pituita tum exstillat in cerebri ventriculos, quia jam oppleti premunt cerebrum, sanguis non admittitur (hoc addidi, quia multi negant) fit Hæmorrhagia narium paucis guttis nigris exstillantibus, quia sanguis non transire potest propter obstructionem & inflammationem, qua data porta ruit.

§. 769. *Prognosis.* Morbus hicce periculosus est habendus, tum ob nobilitatem partis læsæ, tum ob febrem acutissimam brevi determinantem; sed & periculi plenus est propter inflammationem hujus loci, ejusque dira & gravia symptomata, Suppurationem videlicet & Gangrænam, quæ sæpe præcaveri nequeunt, denique ob difficultatem auxilia applicandi. Phrenitidem Veram cum febre ardente ægros intra tertium, quartumve diem (raro enim septimum, vel undecimum transgrediuntur) è medio tollere asserunt Practici, nam est verus talis morbus in cerebro, ut in manu Erisipelas, unde ponit validum motum in hac parte interceptum, septimum diem non transgreditur, quia cerebrum tamdiu cavere non

possumus, sed quia dum cerebrum non admittit sanguinem, ille magis agitur in cerebellum adhuc liberum, quo destructo sequitur mors. Si sæva fuerit Phrenitis, transit sæpe in Maniam, est fere æterna observatio in Medicina, si Vera Phrenitis forte transierit septimum diem, relinquit in cerebro tales dispositiones fibrarum depravatarum vel obstructarum, ut dein tota vita maneat ille furor, scilicet Mania sine febre.

Paulisper &c. Hoc est aureum monitum *Hippocratis*, plurimis neglectum, si quis laboraverit prius molestissima Cephalalgia, fit febris Acuta, simul delirium cum furore, si Medicus hoc quam primum advertat, sapiens medebitur, si non, hoc malum ejus adscribitur ignorantiæ, sunt sæpe nimium jocosi, prompti, alacres ad omnia, tum scito incipere inflammationem, dein oblivio aliqua accedit, quo facto incipient delirare, tandem furere; hinc bene dicit *Hippocrates*, delirium paulatim adscendens terminatur in immanem furorem & ad hoc bene est attendendum, ut æger servetur.

Lethargus vocatur somnolentia perpetua cum oblione sine febre, hoc fit, si caput in ægris à Phreniticо morbo sit infarctum, ut per corticem nil transeat; fit corpus debilitatum, ut vires abesse incipiant, sanguis non movetur, cortex est oppressus & oritur somnus; hic morbus oriri intelligitur, si species inflammationis scirrhosa maneat, est vero Lethargus somnolentia perpetua, superabilis utcunque sine febre, & cum omnium rerum oblivione, qualia ut plurimum leguntur exempla post Phrenitidem in summa rerum oblivione viventium, prius doctissimi, dein nil scientes, nec nomen proprium

nec sua scripta cognoscunt ægri; tanta sæpe in cerebro post validas Phrenitides oritur mutatio, quæ facile intelligitur ab obstructionibus scirrhosis remanentibus. Coma est somnolentia cum vigiliis. Catoche est subita corporis immobilitas retinens totum corpus in eadem dispositione, quam fuerit tempore invasionis, Quando in Phrenitide sanguis & humores pulsi sunt in initio nervorum, tum totum corpus est immeabile, & est pessimum signum, quia statim mors subsequitur.

Vomitus & æruginosus vocatur, quando æger vomit materiam coloris viridis, uti est ærugo æris, si fiat ab inflammatione cerebri est pessimum signum, *Hippocrates* dicit, si aliquis percutiat caput, & scire vis, an interius caput læsum sit, vide an vomet æruginosa, sic si in febre Acuta scire vis, an interius caput sit affectum, uti affici potest à percussione, vide an vomitus adsit, si vomitus adsit, tum caput violenter afficitur ab effuso sanguine, sed effusus sanguis facit vomitum quatenus cerebrum comprimit; hinc in omni mala cerebri affectione fit vomitus, si cerebrum penitus non obruatur, etsi in ventriculo nihil esset, hinc in incipiente Apoplexiæ vel Vertiginis insultu ægri vomunt, qui vomitus, si ad bilis viridis ejectionem usque duret, notant pessime se habere cerebrum. Sputatio frequens & indecora in adstantes, est pessimum signum quod faciunt, si adstantes non possint contingere vel nocere; si vero tremores vel convulsiones apparuerint, ægrotos certe morituros prædicunt Auctores; & *Wepferus in Tractatu de Apoplexia* notat, tum malum ad medullam usque pertingere; & *Hippocrates Phrenitica vehemen-*

ter trementia finiuntur, & *Galenus non Phrenitici omnes tremorem incurrunt*, *sed qui deterrime habent*, & de convulſionibus *Galenus* itidem dixit, *ſuccedit maxime exitiali Phrenitidi*, *nec ſanatum quempiam*, *ita convulſorum aut ip ſe vidi*, *aut alium narrantem audivi*; quare & ſingultus ob eandem cauſam, ut *Aurelianus* notavit, erunt in Phreniticis peſſimi, notat enim nervos affici, cerebrum ad medullam uſque læſum eſſe, ſi valde inquieti, anxii & jactabundi ſunt ægri, plurimum eſt timendum; urinæ color rubicundus fit ex ſoluto oleo cum ſale, quod ex motu & calore cauſticum acerrimum evadit, ſi jam illud oleum cum aqua ſimul exeat, ſæpe ſpes eſt reſtitutionis; ſi vero ſola aqua ſecernatur & egeratur inſtar lymphæ pellucidæ, remanet pars craſſiſſima acerrima, unde tenella cerebri ſtamina facile corroduntur ac deſtruuntur; quare non immerito lethalem pronuntiavit. *Galenus* dicit *nullum vidi Phreniticum*, *in quo talis urina apparuiſſet*, *ſervatum*.

Venatus floccorum. *Galenus* de ſe ipſo dicit, cum eram Medicus junior, incidebam in febrim, quæ dabat diatheſin ad Phrenitidem, Medici accecebant, qui dicebant, videris eum floccos venari, ergo brevi erit Phrenicus, nunc dicit *Galenus*, ego neſciebam me floccos venari, monebam tamen Medicos, ut Phrenitidem averterent, & ſic dicit ſe Venæ Sectione curatum fuiſſe, hoc ſymptoma notat jam ideas perturbari.

Pulverulenti. *Proſper Alpinus in Tractatu de præſagienda vita & morte* optime collegit locos ex *Hippocrate* de ægrotantium oculis agentes, & ibi invenitur eſſe peſſimum, ſi pelluciditas

in aliquibus punctis appareat, & in quibusdam remaneat; tantus enim est calor circa has partes, ut oculus non depurari vel detergeri possit, quia tunc quasi mortuus erit, & absentiam mentis indicat; si acuti sint sicci, hoc notat cæteras partes longe magis esse exsiccatas; hinc malum est signum, si ægri habeant superioris membranæ oculi inæqualitatem vel scabritiem. Ἄδιψοι in febribus ardentibus ægri semper bibunt, si nunc non sitiant, febre tamen remanente pessime sese habent notante *Hippocrate*, mentem i. e. cerebrum laborare indicat.

Dentium stridor lethale signum semper est qui sæpe stridor est tantus, ut dentes atterantur, oritur, quia musculi Temporales cerebro proximi & Maxillares convulsione afficiuntur, vidimus à talibus Phreniticis una pressione, digiti apicem abscindi.

Permutatio symptomatum. Hoc notat œconomiam animalem esse totam perturbatam.

Ulceris tumentis subsidentia. Quod sæpius observavi, tumores siccantur, & evanescunt, quod summum, periculum denotat, & sunt plerumque mortis præsagia.

A Peripneumonia lethalis est. Hic morbus impedit venam Cavam in cor dextrum evacuari ob pulmones obstructos, hinc Peripneumonicis oculi tument, venæ & caput inflatæ sunt, dum hoc fit, sanguis aggregatur in cerebri sinus, & oritur Phrenitis, hinc indicat pulmones inflammatos sanguinem non posse transmittere, eumque in cerebrum conservari.

A Variolis admodum mala est, vidi tamen ægros inde liberatos, sed raro hoc fit, nam plerumque moriuntur, quod signum est Variolas pustulatim hærere ad cerebrum, ut docuit Anatome.

Ab-

Ab Ileo lethalem prounciat *Hippocrates*, Ileus est inflammatio intestini, & si talis etiam fiat ad Meninges, cito perditi sunt ægri; cum enim materies acerrima, ad intestina prius collecta, ad cerebrum vertitur, nulla revulsio valet & exitiale est indicium. Omnes morbi capitis, qui ab inflammatione intestinorum prodeunt ut causa & signa, pessimi sunt.

Inflammatio, id est, nec in resolutionem nec in suppurationem nec Gangrænam vel Scirrhum abiens, erit mortifera, hoc noscitur, si palpent circumquaque & laboriosissimi sunt pugnare & proficisci, & dicant se habere multa negotia, licet vix se movere possint, perpetuo se moveant, semper noctes diesque aliquid agant, nec ab ideis suis amoveri possint, & sibi persuadeant se aliquid exequi debere. Sic vidi domicellam, quæ perpetuo nitebatur adigere filum per acum, etiamsi utrumque non haberet, & studiosum, qui semper se vestire & arma capere volebat, quia se nomen dedisse militiæ credebat; si talis inflammatio ascendat ad cerebrum, lethalis est juxta *Hippocratem*, in hac parte interpretes se tam misere torquent.

Asperitas ab inferioribus ad superiora assurgens facit Phrenitidem, à qua semper moriuntur ægri, hactenus intelligunt interpretes, dicit porro *Hippocrates*, hi palpitant & laboriosi sunt, quando palpitant sunt semi-phrenitici v. g. si dicant se velle in bellum ire & se debere festinare, quia illa hora adesse debeant, hoc semper est lethale signum.

Necessarium in morbo vocatur id, quod requiritur ad morbum curandum, pessimum est, si æger non velit id, quod requiritur & petat, quod

quod nocet v. g. quando æger non vult bibere, non recusat id, quod ipsi maxime est necessarium & sine quo curari nequit; hoc dicit *Hippocrates*, sed sensu Laconicæ dictionis; nempe inPhrenitide & Pleuritide requiritur quies, sed pessimum est, si velint semper videre imagunculas, papyraceas picturas &c. hæc omnia sunt Prognosis morbi, interim tamen aliqua curationis spes effulget, & symptomata sunt mitiora, inflammatio levior, delirium non tam vehemens & cum risu, si crit icæ evacuationes per loca convenientia, debito tempore & satis magna copia observentur, vel per sudores constantibus viribus, remittentibus symptomatibus, de quibus *Galenus* per sudorem atque somnum solvi delirium docet, per alvi fluxum, *Hippocrates* ait, *ab insania Dysenteria, aut Hydrops aut mentis emotio bonum*, aut per u inam de qua idem auctor, *urina multam subsidentiam habens, solvit deliria*, vel per largas eruptinoes san uinis, quales sunt à naribus, de quibus *Galenus*. Sic menstruæ evacuationes cum & post delirium conspectæ, ut observavit *Hippocrates* in virgine Larissa &c. ita & Hæmorrhoïdes delirium secutæ salutem prænuntiant, quas venerandus Medicus meminit, dicit, *ex Melancholia insanientibus, si varices aut hæmorrhoides supervenerint, insaniæ fit solutio*, dolores vehementes ad pectus, ad coxa, crura, pedes, manusque, solvit sæpe malum, signum enim est, quod humores peccantes à partibus nobilibus ad minus nobiles per metastasin sint transituri, qualia exempla sparsim apud *Hippocratem*, si ægri dormire incipiant, & à somno reficiantur, & inde pacatiores evadunt, optimum est indicium.

§ 770. Anatome ultra quinquaginta Phreniticorum apertorum exhibet exempla, in quibus hæc varia observatio occurrit, inventæ sunt inflammatæ meninges & cerebri, ac ichores acres maxime in Lue Venerea erosa tabula inferiori cranii ad cerebrum prolapsi. Quando Dura Mater inflammatur, oritur capitis dolor, unde postea delirium, hinc ubi est dolor capitis, ibi affecta est Dura Mater, sed si dum hæc pars est affecta, vitium ad Duram Matrem feratur, tum delirium oritur.

§. 771. Proxima hujus morbi causa est cerebri, Duræ Piæque Matris inflammatio, quæ oritur ex sanguinis arteriosi rubri in vasis minimis stagnatione & à vi cordis in obstructum ulteriori pressione & attritu: hæc fieri possunt vel vitio vasorum vel vitio humorum vel utrorumque vel denique errore loci, hæc ut plurimum oriuntur & augentur ab impedito per minima vasa transitu, motuque nimio circulantis sanguinis ad caput & superiora rapti, quo enim humor celerius per canalem propellitur, eo major humoris copia intra datum temporis spatium transire debet, unde necessario in fine ejus fit resistentia, qua nata statim fit in vasis obstructio, nam reliqua huc appulsa sistentur, horumque excipientur ab his actiones, dum interim continuus ad hæc loca manet cruoris appulsus compingitur valde obstructum, exprimuntur tum subtiliores sanguinis particulæ, relictis modo crassioribus ipsius fluidis, ad obeundum circulum haud amplius idoneis, unde tandem major vasis exoritur obturatio, dilatatio & extensio: sed eo ipso quoque difficilior fit cruoris per minima vasa trajectus, unde tum illa functio tollitur, quæ à canalium in-

integritate pendebat scilicet vasa liquidis irriganda deplentur, & vasorum in transmittendis fluidis minuitur capacitas, hinc major humorum copia per vasa libera fluens horum velocitas augetur, dum eadem cordi remanet exprimendi facultas, orietur validus in vasa & vicissim vasorum in humores nixus & renixus, adeoque ingens partium attritus, calor, & æstus. Dum hæc ita fiunt, vasa lateralia magis obturantur, & distenduntur ab impacto per vitæ vim sanguine, unde tumor, pulsus & rubor augentur; quin imo ex ipsa vasorum distensione expanduntur simul eorum nervuli, omnium vasorum genere mirifice intertexti, imprimitur cum mente doloris quidam sensus, eo quidem exquisitior, quo à perseverante sanguinis motu magis dissolvitur nervorum continuitas, hinc vellicantur cerebri quoque ac cerebelli vascula, feruntur spiritus ad villos cordis majori impetu, & duplicatur cruoris per vasa velocitas, ita ut verus quasi ignis caput & universum corpus depascatur. In his equidem non subsistit immanis illa simplicissimæ labis ferocitas, sed contagii instar, saluberrimæ prius machinæ structuram subito destruere conatur: namque eodem tempore, quo humores celerius feruntur per libera vasa, dissolvuntur una cum solidis fluida, atque dissipantur ab attritu mobiliora ejus corpora, quatenus aqua & spiritibus erant ditissima, sed & humores residui in densitatem coguntur inflammatoriam, hic sales & olea nimis attenuata, trita & volatilia facta, redduntur maxime acria, imo exaltantur quasi in putredinem, dum interim crassa & tenacia accumulantur olea, exustisve fiunt similia humoribus,

quos

quos non immerito hujusmodi in casibus bilem flavam, atram & exustam vocarunt veteres, hæc omnia ubi quis secum reputat, atque præterea animadvertit, quod nulli in cerebro hæreant musculi, nulla adsit pinguedo, quæ humorum impetui per dictas causas in corpore accelerato, resistunt, certe clarissime videtis, quam multa diraque symptomata inde oriri possunt.

Primario orta. Non dico inflammationem cerebri, quamvis non negem subesse, sed quoniam illa est adeo subtilis, ut non appareat, dico tantum illam membranam esse affectam, sed inde intelligitur, quod interiora per Piam Matrem affici debeant, hic morbus sæpe oritur a translatione materiæ ex aliquo loco prius nato. Quando videtis ægrum Phrenitide laborantem, cogitate, quod in tenui membrana cerebrum & cerebellum obvolvente nata sit talis inflammatio, vel membrana Pleuræ in Pleuritide. Symptomatica est, si inflammatio sit prius in alia corporis parte, sed postea laxata illa parte fertur in cerebrum, unde fit metastasis, & hoc est proprie Paraphrosune sive Phrenitis Epigenomenes.

§ 772. Si rogarem, quomodo cognoscatur, quod æger Phreniticus sit, quid tum responderetis? inflammatio Piæ Matris adesse deberet, quænam certa signa, ex quibus cognoscitur Vera Phrenitis? hoc est dolor capitis manens in uno loco, subito incipiens, non auctus ad externum attactum, doloris comes est febris Continua, cum pulsu duro & febre Acuta, deinde si delirium successerit post immanem dolorem, & ad delirium accesserit furor, & omnia manserint, ibi est Vera Phrenitis, sed quo-

quomodo sciemus, quod Phrenitis incipiet? si præcesserint causæ Phrenitidi generandæ aptæ, quæ § 772. recensui. Futura Phrenitis est melior quam præsens, quia præsens raro curatur. In omni fere critica metaptosi pulmo maxime anhelat, ut se liberet, & coquat materiem.

§ 773 *Hippocrates* omnes morbos Acutos accurate rimatus notavit, per quas vias natura sibi commissa hunc morbum sanet, nil de caussa nec de effectibus ratiocinatus.

Varices. Si Anus doleat cum varicibus, & varices turgidæ sint, cessat furor, vel si incipiant venæ Saphænæ turgere, & fieri varicosæ, vel si solvantur Hæmorrhoïdes; & fluant, hæc notant minorem sanguinis pressionem versus cerebrum.

Alvi fluor bonus. Scilicet qui fit in Phrenitide in primo morbi tempore perpetuo levans, vires non tollens solvit, sed si alvi fluor oriatur à viarum angustia, ab inflammatione, à præcordiorum anxietate, non juvat, sed est lethale signum, verum si primis diebus fluat cum levamine, & vires constent, morbus solvetur.

Dolor. Omnia sequentia ab *Hippocrate* sunt observata, si doleant pedes, brevi futurus est minor impetus ad caput, & si dolor sit ad pectus cum tussi signum est materiam è cerebro descendere ad pulmones, & ibi procreare tussim.

Hæmorrhagia. Si oriatur narium stillicidium cum paucis guttis, est semper lethale signum, sed si stillicidium fiat, antequam morbus est debacchatus & vires constant, si tum sanguis pleno rivo prodeat, solvit malum. *Severinus*

secta

secta arteria Temporali millenos curavit, ergo Hæmorrhagia aliter solvit, quam Venæ Sectio, quia hæc tantum demit de viribus fluentibus versus cor, sed Arteriotome sanguinis ex corde effluxi impetum tollit.

§ 784. Utinam considerassent Medici, utinam ipse non neglexissem, si Phrenitis Vera non curetur, antequam morbus adoleverit, postea nunquam curabitur, sanguis enim impactus vi cordis in corticalem cerebri substantiam vel cerebro vicinam, nunquam retroduci potest, quia nulla est elasticitas in cerebro, non enim est corpus magis molle, magis iners & magis paralyticum, quam cerebri cortex, hinc omnes inflammationes post mortem cessant in cerebri membranis, manent circa cerebri medullam, ergo curatio citissime est instituenda, antequam morbus invalescat. Omnis inflammatio tollitur, vel resolutione, quæ sola hic possibilis, vel suppuratione, unde Apostemata, Erosiones, Gangræna, Scirrhus & mors oriuntur.

§ 785. Sola curatio indaganda restat, quæ hisce facile absolvitur indicationibus, 1. ut impetus irruentis in cerebrum sanguinis minuatur, 2. ut sanguinis fluiditas concilietur, 3. ut vires vitæ conserventur. Impetus sanguinis minuitur minuta copia, minuta pressione, copia minuitur Venæ Sectione statim in initio instituenda; cum enim axioma sit Medicum, periculosissimi morbi, & qui valde cito decurrunt, citissime validissima requirunt remedia: ita in Vera Phrenitide, cum periculo plena sit, & brevi citoque decurrat, subito summa sunt tentanda remedia, hinc Venæ Sectio larga fit, ad animi deliquium usque, id est, donec pal-

lescere

lescere aut deficere incipiant œgri, magno & amplo vulnere, sæpe per plures venas simul, ut tanto educatur citius, cum interdum periculum sit in mora, idque teste *Riverio*, in morbi principio bis, terve repetendum, prout impetus morbi, ægri conditio, ætas, temperies & vires permittunt, sæpe instituetur missio sanguinis per plures venas simul, ut faciebant Græci. Si Phrenitis sit in initio, nil plus juvat quam Venæ Sectio ad pedes instituta, tum enim totus impetus à capite tollitur, sed si morbus cerebrum infarciens obstruxerit, tum commendari solet venarum Jugularium vel Frontalium apertura, quoniam tum spes est cerebrum levaturum iri, si hæc non juvent ad sectionem arteriarum perveniendum est, imprimis Frontalium & Temporalium, quæ digito sentiuntur & facile secantur, hæc quomodo inveniantur & cum optimo successu secentur, vide apud *Aurelium Severinum de Efficaci Medicina in Capite de Arteriotome*, ille clarissimus Auctor observavit, ægrotos, qui per repetitam Venæ Sectionem restitui non poterant, per Arteriotomen in arteriis Temporalibus peractam statim esse restitutos, id quoque meminit *Paracelsus*, & modum peragendi vide apud *Dionis Cours d'Operation de Chirurgie* si hæc cum audacia fierent, plurimi sanarentur, nam sanguis ex vena missus minuit saltem copiam, quæ per pulmones fluit, hinc missio sanguinis per venas non satis minuit impetum, sed arteriarum sectio omnem impetum ex corde factum tollit, si morbus sit vehemens, post duodecim horas repetendum erit; hinc missio sanguinis magnæ certe est utilitatis in hoc morbo, quoniam impetus

petus ſanguinis non tantum & ulterior vaſorum deſtructio impeditur; verum etiam in vaſis ſæpe impactum reſolvitur, hinc nunquam negligenda eſt quidquid Chemici ex ſuis operibus promittunt, bona eſſent eorum verba, ſi in facta tranſirent. Alvum laxantia etiam proſunt, quæ humores nec acriores reddunt, nec validius movent, cum tamen eos ſolvunt, ad inteſtina derivant, atque educunt; qualia ſunt purgantia antiphlogiſtica cum multo potu diluente nitroſo danda, ut Cremor Tartari, ejus Cryſtallus, Tartarus ipſe. Sal Polychreſtus, pulpæ Tamarindorum, Tamarindi ipſi decocti cum ſucco Limonum & Nitro. v. g.

℞. Tamarindi ℥viij
Aquæ puræ pint vij
Coquantur ſimul Colaturæ
addatur Nitri puri ℥ß
Rob Ribeſir. ℥ij
Succi Limonum q. ſ.
ad gratiam.

Hoc bibat æger, vel pulpæ Caſſiæ Fiſtulæ & in decocto Rob Sambuci, Mel, Manna, Caſſia &c. ex quibus unuſquiſque pro modulo ſuo formulas concinnare poteſt, de his imprimis de Tamarindis tutiſſime tanta ægris propinari poteſt copia, donec Diarrhæa laborare incipiant, qua ſæpius Phrenitidem ſolvi viſum eſt, nullumque inde periculum timendum. Clyſmata ſimilia injecta quoque ſummopere juvant, multoties, omni ſexta hora ſi fieri poſſet, ſeu bis terve de die, ut perpetuo madeſcant inteſtina, laxentur vaſa, & huc deriventur humores; poſſunt fieri ex ſola aqua,

fere

sero lactis, lacte ebutyrato, melle cum aceto vel oxymelle vel sero lactis cum aqua & melle, additis laxantibus & emollientibus.

Anus fovendus mollissimis fomentis aut pulmentis ex bulbis Liliorum alborum coctis cum sero lactis, hæc noctes atque dies apponantur ano, ut tumeant, tum asperis Ficuum foliis leniter perfricandum, si enim prius tumeant vel laxatæ sint, à minima causa rumpuntur, aut applicentur hirudines, vel paululum salis inspergatur; vel sedeat æger nudato ano supra vaporem aquæ calidæ in sella proforata, ut partes illæ humectentur & emolliantur, imponantur tunc suppositoria ex Melle & Aloë subtritis in substantiam scissilem cocta & inspissata, donec incipiant dolere, si sponte non rumpantur, apponantur huic loco cum lacte dulci prius depurato hirudines, tum sanguinis copia est educenda, donec æger deficiat, si vero satis fluxerit, huic imponendus est Spiritus Vini, quo pars lavetur, hoc est inter omnia remedia furori Phrenitico sanando optimum.

Collutoria sunt balnea corporis, sorbetur decoctum avenæ, & hoc os colluatur, quo ipso efficitur, ut præter humectationem arteriæ carotidis laxentur, per quas sanguis tam violenter & tanta copia ad cerebrum non fertur.

Nares, oculi &c. Spongiæ aceto vel aqua madidæ his partibus præsertim circa aures applicentur, quæ ibidem quasi trahunt, observatum est dudum Cantharides post aures in ejusmodi casu optime juvasse, ergo quo magis trahens ibi applicatur, eo melius promovetur. Emolliuntur & laxantur, vasa per balnea immersionis, imprimis vero vaporis, & totum corpus,

quod in talibus penitus fere aridum nullum sudorem transmittit, humectetur & per vasa absorbentia liquidum in majora vasa deferatur, atque ita emolliantur; fomenta naribus, oculis & auribus applicata huc spectant, ita ut totum fere caput madescat, id posca, hoc est, aceto cum decuplo aquæ peragitur v. g. potest sumi sequens.

℞. Aceti Rosacei
—— Sambuci ana ℥j
Aq. Rosar.
—— Sambuci ana ℥iv
Aq. pur. cum aceto q. s.
M.

Immittatur pannum, & eo penitus madido obvolvatur caput, in multis casibus, ubi cætera vix profuerunt, hoc solo remedio sanati sunt; hinc simile fere remedium clarissimus *Sydenham* in his laudat; ac plus quam Narcotica quævis prodesse dicit. Collutoria oris fiunt ex decoctis diluentibus, ut radicibus Graminis, Acetosæ, herbis ejusdem, Malvæ &c. hinc etiam gargarismata componantur, nam nisi os & fauces madidæ sint, sanguini non tam facile conceditur transitus, & liberum humorum à capite versus inferiora iter impeditur, summopere laudat *Sydenhamus* caput radere, nil adeo confert post repetitam venæ sectionem & purgationem, idque semper in Phrenitide commendat, nullum emplastrum admovens, sed pileolum tantum, quod ablatum rasura capillitium spissitudine quadantenus compensat, aut caput à frigore externo muniat; quando deraduntur capilli, tum quoque millena vascula

ab-

abſcinduntur. Hoc remedium in Gallia, Hiſpania, Luſitantia, & omnibus locis calidis Medici faciunt in Phrenitide. His omnibus ita peractis & per aliquot dies fruſtra tentatis, nec tamen cedente malo, ad Opiata confugiendum, non ut per ea cauſam tollas, ſed majora inde ſymptomata prohibeas, quæ nunquam, in principio aut ante dictas evacuationes exhibenda ſunt; aliter ſæpe peſſime cedunt, ita ut ægri magis furibundi & inquieti moriantur, putat antem *Sydenhamus* non niſi in declinatione hujus morbi Opiata ſeu Narcotica mediocri doſi ahhibita cum ſucceſſu dari: quin imo nunquam ante duodecimu,n diem proſpere hæc exhibita fuiſſe ſe ſcire aſſerit, quæ tum non nocebunt, quia, vires ſunt imminutæ, tum datur granum ſemis Opii in ſucco Citri vel aceto diſſolutum, tum expectatur, an juvetur, ſi juvet, poſt ſemi horam datur adhuc granum ſemis.

Pediluvia. Sæpe feci, ut pedes ab inferioribus uſque ad futuram mitterentur in pediluvium, quod conſtabat ex lacte ebutyrato cocto cum foliis Malvæ, ut venas eo uſque laxarem, ut omnia tumeſcerent. Impetus ſanguinis minuitur, minuta preſſione, id fit revulſione & repulſione in alias corporis partes, tantis encomiis in his affectibus ab antiquitate elata; nec aliter in his ſonant oracula *Hippocratica*, ſed ea eſſe revellenda, quæ quo oportet vergant, ad hanc ergo revellentium claſſem ſpectant cucurbitæ ſine ſcarificatione attrahentia, epiſpaſtica, imo & veſicatoria, quæ in applicata parte minorem faciunt reſiſtentiam, & ſic humores huc derivant; in hunc finem panis ſecalinus fermen-

tans cum sale aceto mistus, additis Ruta, semine Nasturtii Hortensis, Erucæ, Sinapi, Cæpis Assatis &c. plantis pedum, poplitibus & cruribus applicatus maxime conducit; si ab his forte rodantur inferiora, & quasi urantur, parvi pro tempore est habendum, dummodo à nobilioribus ad magis ignobiles partes trahuntur humores peccantes, ad repellentium classem recensentur omnia refrigerantia & constringentia, forma cucuphæ, emplastri, epithematis, oxyrrhodoni &c. quæ vasa constringendo sanguinem istis partibus appositis arcent; à multis hic maxime commendantur pisces fluviatiles Tineæ dictæ, splen vitulinus, & alia nimis sordida pedibus & capiti applicata, omnia hæc applicui, sed nil inde præstitum vidi; ratio hujus opinionis est, quia hæc cito putrefiunt, & putant Medici, sic putredinem à corpore educi, verum sanis idem fit; denique sanguini in vasis impacto fluiditas est concilianda; redditur sanguis fluidus eum diluendo vel vasa laxando & emolliendo: nam sive vasa laxaveris, sive sanguinem dilueris, eodem modo res redit, sanguis optime diluitur venæ sectione cedendo reliquæ sanguinis massæ, porro præcipuum in hisce diluens est aqua, cætera tantummodo diluunt, quatenus ut plurimum sunt aqua; hinc quoque serum lactis, lac ebutyratum ad teporem sani corporis, forma potus, fotus, balnei, vaporis, clysmatis, maxime diluunt, addi possunt attenuantia & resolventia, qualia sunt Sal Marinus, Gemmæ, Nitri, Ammoniaci, Polychrestus, Prunellæ, huc pertinent decocta ex radicibus Acetosæ, Graminis, Lapati Acuti, Scorzoneræ, Tragopogonis, foliis Aceto-

sæ,

sæ, Acetosellæ, Cichorei, Lactucæ, Endiviæ, Agrimoniæ &c. floribus Buglossi, Boraginis, Violarum, Sambuci, sic fiunt in hoc casu decocta ex fructibus horæis bene maturis, addito Saccharo vel Melle ut & Nitrosis attenuantibus supra memoratis.

Corpus. Credo, quod nil magis noxium sit, quam hominem Phrenitide laborantem includere lecto cortinis subducto, & simul vitare, ne surgat, ægros furentes jussi, ut surgerent, immisi pedes in cucupham cum aceto pauco & sale, tum desierunt furere, quando iterum in lecto veniebant, iterum furiebant, ergo potius erecti teneantur, sed in loco obscuro, & dum erectus sedet, sedeat cum inferioribus in balneo, si æger surrexerit ex balneo, & velit petere lectum, tum antequam immittatur, epispasticum ex aceto, pane, Ruta, Allio & sale ad pedes, poplites & inguina est applicandum, ut non modo laxet, sed stimulum faciat, capiti embamma est applicandum ex oxycrato seu aceto rosaceo & aqua rosarum addito sale & nitro, multos tales ægros curandos habui, quibus si hæc applicarentur, primo die omnes sanabantur, si secundo, sæpe moriebantur. Hinc nisi corpus subinde à lecto abstineat, & erectum in moderato frigore teneatur ac reficiatur, frustra, quidquid sæpe tentas, tua erunt in levando ægro molimina; nil adeo laudatus *Sydenham* in morbis inflammatoriis, maxime in hoc inculcat, quam istud; digna sunt ejus verba; dicit: *Hoc in casu* (*nempe ubi Phrenesis* &c. *aut alia quævis efferatæ inflammationis indicia ægrum febricitantem obsederunt*) *quantumlibet sanguinis detrahatur, quantumvis leviter tegatur corpus, quicunque de-*

 mum

mum liquores refrigerantes ingerantur, non prius sedabitur febris, quam æger se lectulo interdiu abstinuerit, cum calor circumambientis aëris inter stragula conclusi, sanguinem plus exagitet & procumbentis corporis situs vehementiori impetu eundem in caput impingat. Quod si usque adeo debilitati à morbo fuerint, ut erecto corpore per duas tresve horas sedere nequeant, quin deficerent, omnia ita accomodari debent, ut facile sedeant, & simul quasi sedere & jacere videantur; à Clarissimis in arte Viris observatum est, tales ægrotos vix delirasse, cum à lecto abstinerent, cum vero se iterum lecto addixissent, rursus delirio correptos fuisse.

§ 776. Si adsit Peripneumonia & sequatur Paraphrenitis, si tum sputa prodeant, & æger furat, tum non mitto sanguinem, nec supprimo sputum, sed si hoc non juvet, mitto sanguinem & facio ut dixi. In morbo Acuto cerebri & cerebelli per derivantia est agendum, & si in morbis Acutis hæc instituerentur, vix inde aliquis moreretur, cum vero hic nil est differendum, omnia ilicò sunt instituenda, nam sequenti die nil prodest; deinde etsi Medicus præscripserit venæ sectionem, aut aliud quid adhibuerit, attamen si morbus nimis duraverit, inutilis erit curatio, & æger moritur, hinc in talibus morbis semper advocandi sunt alii Medici; effeci etiam ut plurimum in illis casibus, ut totum corpus inferius ambiretur cataplasmate emollientissimo, ita ut fere pure excoriarentur. Tandem his omnibus diæta exactissima, ut vitæ vires conserventur, est adjicienda, aër itaque sit purus, frigidiusculus, arte vel sponte ita factus & (ut *Sydenham* dicit) focus non sit luculentior in cubiculo, quam

quam cui æger nunc, cum sanus erat, assueverat. Cibus sit tenuissimus, levis ex farinaceis in Phtisanam &c. coctis, ex quibus ut & ex seminibus quatuor frigidorum majorum, minorum emulsiones præparari possunt; huc referri queunt fructus horæi subacidi maturi, cum pauxillo Vini & Saccharo decocti. Potus sit copiosus ex aquosis diluentibus tepide assumptis; ut aqua Hordei, avena tenuissima, sero lactis, lacte ebutyrato, cerevisia tenui &c. his addi possunt succi fructuum horæorum maturorum. Quies & somnus omnibus modis concilietur, utpote Phreniticis utilissimus, cum somno deliria mitescant, ægrique convalescant: ille arte fit, si sponte non subsequatur; scilicet remediis huic scopo propriis, ut aqua florum Rhœados, ejusdem syrupo, syrupo Papaveris albi, Diacodii, Laudano liquido & solido; alvus quodammodo respondeat; admoneantur, ut urinam reddant, cum id sæpe obliviscantur. Nunquam negligenda est eorum custodia, quamvis quieti ac pacati pro tempore videantur; fallunt sæpius custodes; retineantur, quieti, quantum fieri potest, omniaque objecta, quæ, curam aut molestiam pariunt, arceantur, neque his obloquantur vel irascantur: verum si nimis ferociant, ut non contineri possint, vincere eos oportet, dicit *Celsus* ne vel sibi vel alteri manus infligant, ac noceant; *adversus omnium sic insanientium animos se gerere pro cujuscunque natura necessarium est.* Si his efficere nequeam, incurabilem pronuncio. Hac ratione juxta *Hippocratem* curatur Phrenitis.

Angina.

§ 777. Vox Angina à voce ἄγχειν angere, quia morbus eſt, quo ægri valde anguntur. Unde *Plautus*, *ad anginam ego me velim verti veneficæ illæ fauces prehendam*, *atque enecem ſceleſtam ſtimulatricem* : ſic *Feſtus* dicit eos habere anginam vinariam, qui vino ſuffocantur. Commode quoque derivari poſſet à verbo Latino angor; hinc dicit *Plinius occupat Pantheræ fauces angor*. Belgis dicitur *een ontſteekingh in de keel*. Græce à veteribus vocabatur κυνάγχὴ, λυναγχη & συναγχη. κυναγχη & λυναγχη dicta eſt, quia frequenter hæc animalia afficiat: nam canes κυνας, & lupos λύνας vocaverunt quorum quoque ſimiles voces ſive ululatus in Synanchica paſſione conſtituti, cum præfocari cæperint, emittunt, ut dicit *Cælius Aurelianus*, συναγχη vero, quia hominem laquei inſtar ſtrangulet & ſuffocet; nam vox συναυαγχη oritur ab ἀλχονη *laqueus* vel ἄγχω non autem à συνέχειν *continere*, ut dicit *Cælius Aurelianus*, hoc enim clare patet ex hiſtoria Demoſthenis, quam *Gellius* deſcribit, ubi ille Mileſiorum Legatorum poſtulatis acriter primo reſpondet, ſed cum poſtridie ab illis pecunia correptus ſe contra Mileſios loqui nequire dicebat, quia συνάγχὴν pateretur, tunc unus è populo exclamabat, *Demoſthenem* non συνάγχὴν ſed ἀῤγυράγχὴν (id eſt, non anginam, ſed argentanginam) pati. Exinde vero multæ ortæ ſunt differentiæ à *Galeno* ad quatuor ſpecies reductæ, quarum pri-

primam vocavit κυνάγχην ἀ κυὼν *canis* & ἄγχω strangulis quia in hac specie (ubi musculi interni laryngis sunt inflammati, licet nullo apparente tumore) ægri ore hiante, cum maxilla & lingua extrorsum pressis, ut canes æstuantes aërem hauriunt: secundam speciem dixit παρακυνάγχην cum externi faucium musculi sunt inflammati cum notabili tumore; tertiæ nomen συνάγχης dedit, quando afficiuntur musculi pharyngis interni vel ambitus faucium interior: quartæ nomen παρασυνάγχης tribuit, tuncque musculi faucium externi inflammati sunt; tumore aliquo externe apparente. Angina ab *Hippocrate* & Veteribus appellata ut plurimum est omnis inflammatio, quæ in gutture & faucibus fiebat, *Hippocrates* tamen videtur distinguere faucium inflammationes ab angina, cum dicit: *Quibusdam raro faucium inflammationes aderat, aliis vero anginæ.* Ubi *per faucium inflammationes* intelligere videtur, si partes faucibus vicinæ, ut tonsillæ, uvulæ, vel musculi linguæ inflammentur, per *anginam* vero, si ipsi musculi laryngis vel pharyngis inflammati sunt, nunc vero pro angina habetur valde dolens & impedita respiratio & deglutitio, ortum trahens ab inflammatione faucium vel adjacentium partium cum febre Acuta, & cum vel sine aliquot interno vel externo tumore. Dico faucium vel adjacentium partium; quia non semper fauces, sed aliquando adjacentes partes inflammantur, quæ deglutitionem & inflammationem impediunt; ut inflammatio glandularum asperæ arteriæ & æsophago ita vicinorum, ut hæ fistulæ ab iis comprimi queant, ut ipsæ thyroïdeæ vel etiam aliæ inflammatæ. Alii, ut ipse *Galenus*, his supra dictis

addere volunt quintam speciem ex *Hippocrate* quando nempe vertebra luxata est cum inflammatione, & huic speciei tria dant nomina, quorum primum est λορδώσις, si vertebra in anticam partem, 2. κύφωσις, si in posticam, 3. σκολίωσις si in hoc vel illud latus sit inclinata, verum si tali modo vertebra sit luxata, incurabile est, ut testatur *Paulus Ægineta*. *Fit etiam in pueris talis affectio, colli verticulis ex elapsu ac discessu affectis; verum illorum velut incurabilium curationem non aggrediemur*; & Ipse *Hippocrates*, quibus cum *febre*, *hi multo magis & difficulter spirabant* &c. & paulo post, *quot autem ego novi* omnes mortui sunt. Generalis anginæ definitio est impedita vel dolens deglutitio vel respiratio vel utraque simul facta à causa, quæ hæret circa pharyngem vel laryngem, si enim inferius hæreat non est angina.

§. 778. *Sine ullo signo &c.* Hæc est angina non apparens quæ ab *Hippocrate* dicitur pessima, nam est plerumque lethalis.

Tumore. Hæc dicitur vel in palato vel tonsillis vel epiglottide vel larynge, vel intermedia parte laryngis & pharyngis vel in ipsa pharynge vel in musculis harum partium, vel in glandulis vicinis; si vero in fauces inspiciatur, nil videmus.

§. 779. *Evacuationes.* Qui in quartana nimium purgat, sanguinemque nimis mittit, deprehendet ægrum incidere in anginam scilicet tumorem, & si æger nil deglutire possit, hoc *Hippocrates* pro pessimo signo habuit, & idem accidit post maximam Diarrhæam in Phthisi; credo, quod post magnas evacuationes angina oriatur à spiritus animalis defectu, unde hæ partes para-

paralyticæ fiunt. Hic morbus à veteribus valde examinatus & à *Sydenhamo* est descriptus.

Pallorem. In gutture est tumor sed potius quædam Paralysis apparet, solum hæc observantur, nempe pallor, siccitas & tenuitas.

Quare. &c. Deglutitio non fit per tubum quasi mortuum, sed per musculos æsophagi, deducentes, & si hic Paralytici sint, nil hic transmittitur.

Fere semper signum &c. Nam in morbo Chronico videtis aliquot horis ante mortem, dum ægri deglutire volunt, non possunt, & hac ratione moriuntur, quod *Hippocrates* & *Sydenhammus* observarunt; hujus morbi cura maxime est distinguenda à curatione anginæ inflammatoriæ. Adfui nuper homini tali angina intentissime cum summis convulsionibus laboranti, jam ante ab aliis Medicis intempestive sanguis fuerat missus, clysmata itidem male fuerant injecta, erat homo tenerrimus viribus exhaustus; vix juvenis, unde in talem suffocativum incidit malum, videbam male actum esse, tum summa ope nitebar vires reficere cibis nutrientibus maxime cum vino, & jubebam ut omni corporis motu caveret, unde juvatus est. Conveniunt jura & decocta carnium pullorum cum succo Citri, pro potu vina sunt optima; hac ratione hæc angina curatur.

Replentibus. *Hippocrates* & *Sydenhamus* bene observarunt non in omni casu, ut plurimi recentiores asserere volunt & secure agunt, venam esse secandam, sed tantum in illa anginæ specie, quæ oritur ab inflammatione, altera vero species, quæ oritur ab evacuatione, per Cardiaca replentia est curanda, uti dixi, de Cardiacis requisitis in liquidi vitalis defectu.

§. 780. Mirum est symptoma, quod omnes Practici notarunt. Nonnulli ægri magno morbo laborare non videntur, tamen moriuntur sine causa manifesta, post mortem horum cadaveribus apertis invenitur pulmo pure plenus, unde subito ægri fuerunt suffocati; vidi hac hyeme anginam incipientem intra sex horas fuisse suppuratam, hinc est periculosissima vixque curabilis.

§. 781. Nonnulli dicunt anginam tantum esse certæ partis inflammationem, sed illi sibi sumunt jus, quod ipsis non competit, nam non à loco, sed ab effectu ita dicitur, hinc dividimus anginas primario à diversitate materiei dicta functiones vel impedientes vel auferentes; unde hæ diversæ anginarum species emergunt. Si aliquis tumor producat anginam, hoc facit, quatenus lædit vel pharyngem seu laryngem.

Oedematosa. De hac specie optime *Schneiderus* scripsit, gravedine laborans aërem per nares educere nequit, si quid hujusmodi ad glottidem contingat, æger suffocatur.

Inflammatoria. Hæc est pessima.

Purulenta, Inflammatio reddit partem inflammatam postea purulentam, antequam vero pus erit depositum, maximus tumor ægrum suffocabit.

Convulsio In corporibus exhaustis musculi glottidem claudentes spasmodica convulsione correpti eam claudunt, quæ angina inde orta lenta repletione curatur, hinc danda sunt ea, quæ æqualem sanguinis fluxum ut & spirituum per totum corpus conciliant, & quæ maximum eorum fluxum in hanc partem impediunt.

§. 792.

§. 782. *Linguam.* Si tumores linguam imprimis in postica parte occupent, deglutitionem lædunt, sic Chirurgi sæpe scirrhosas viderunt glandulas Morgagnianas ad linguæ radicem, vidi anginam factam ex tumore radicis linguæ compingentis epiglottidem in glottidem, tum venæ sectio ilico est instituenda ad raninas ad expediendam linguam; aliquando lingua ad anteriorem partem ita inflammatur, ut sibi ipsi impedimento sit, unde sæpe fauces occluduntur.

Palatum parte postica est pendulum & glandulis mucosis plenissimum, quas adeo intumuisse vidi, ut incommodissimam reddiderint respirationem & deglutitionem, idem oritura tumore polyposo hoc velum ad glottidem deprimente.

Tonsillæ plerumque in hoc morbo inflammantur.

Uvula inflammata evadit major, tunc enim ejus musculi agere non possunt & deglutitio impeditur, hinc vocatur uvula pendula, putant tum Medici, quod sit relaxatio, & nescio, unde hoc ita invaluerit, nam sæpe à vera inflammatione oritur, hinc medicamenta ex Pipere & spirituosis ad uvulam pendulam non sunt applicanda.

Hujus musculos. Notum est, quod per recentiores demonstratum sit, quomodo velum pendulum & uvula trahant sursum & deorsum, & quomodo musculi solitarii & musculi per paria eant. Anginæ sæpe oriuntur, ubi nullum vitium est in pharynge nec ad laryngem, sed quoniam musculi salpingostaphilini &c. qui in prima deglutitionis actione palatum expandere debent tum ægri volentes deglutire summopere

mopere dolent, quod sempet fit, quando velum palatinum cum musculis est inflammatum.

Cava ossium frontis. Hæc est mira anginæ species à plerisque prætervisa; scitis ex Anatomia, quod hæ cavernæ sint cavæ & peristromate membranaceo vasculoso cinctæ, & quod in his cavernis ex tenuissimis membranis secernatur humor, qui collectus vocatur mucus, si nunc vascula in his cavernis sic dilatentur, tum non coërceri possunt, hinc per foramina, quæ mucum collectum evacuant, pars transmittitur, & hac ratione nascitur pessima polypi species, quæ sæpe deprehensa fuit explicatio membranæ musculosæ, quatenus occupaverat cavum, quatenus intumuerat, eatenus in cavo detineri non porerat, tum etiam circulatione per angustiam deducebatur, & tum conveniens se satis explicabat, vel iens antrorsum vel retrorsum, velum pendulum decumbens deorsum, sed sæpe sic increscit, ut velum pendulum palatinum & fauces opprimat, hoc vidi in homine, ut horrerem, habebat à polypo maxillas deductas, cum introspicerem, erat primo corpus lividum, velum palatinum, quod ab incumbente polypo, qui pugnum magnitudine æquabat, sic erat pressum, ut ille erectissime duceret animum, tum proponebant Medici, ut, si vires constitissent, transcinderetur velum palatinum, ut imminueretur materia ibi hærens, sed post horam suffocabatur; hinc talis polypus oriri potest; quod malum, si negligatur, ita extenditur, ut velum palatinum adeo comprimat contra pharyngem & laryngem, ut hæ partes occludantur; cui morbo nullum adest remedium, nisi excisio tumoris

moris palati; vel talis polypus est consumendus escharoticis ut Alumine usto, &c. vel extrahendus, si factus sit à membrana mucosa *Sbhneideri* protuberans & luxurians propter inflammationem &c.

Hoc considerare debemus in Praxi, nam sæpe Medici advocantur ad difficilem respirationem, vident nil nisi elongatum velum palatinum, ille morbus curatur pro malo gargareonis vel simili, sed facile cognoscitur, si nempe respiratio per nares cum deglutitione impedita non bene peragatur, tum enim semper est à polypo.

Musculus. Omnis musculus inflammatus se ad nixus contrahit, unde dolorem incomparabilem parit, si inferatur, gangrænescit; si etiam musculi ossis hyoïdis inflammati sint, tum ægri intrusum bolum bene ferunt, sed deglutire volentes non possunt, unde patet vitium in his musculis hærere.

Aliquos. Imprimis stylohyoidei & stylopharyngæi si inflammati sint, & deglutitio fieri debet, patiuntur dolorem intolerabilem, & in hac anginæ specie omnia ex pharynge ejiciuntur.

Laryngis &c. Scitis, quod alii musculi inserviant pharyngi & claudendæ glottidi, hinc videtis, quod non modo in respiratione, sed in deglutitione morbus oriatur, si musculi, quæ glottidem claudunt, inflammentur, tum oritur κυνάγχη, hi homines non rauci, sed altissima voce loquuntur, sic vidi nobilem virum, cui sæpe convulsio accedebat, quo ad vocem uno momento in puerum mutatam, quando enim hi musculi convellebantur, acutissimam edebat vocem. Talem anginam nuper

per vidi, ubi nil apparebat tumoris aliusve ſigni manifeſtioris, ſuffocabatur æger cum voce clangoſa, miſſus erat ſanguis, ſed cito moriebatur, crediderim ibi membranam muſcularem tracheæ & muſculos internos læſos, quibus ſemper hic apparet nullum vitium.

Aſperæ arteriæ. Nam ipſe larynx inveſtitur membrana, quam ſolus *Morgagni* bene deſcripſit referta mucoſiſſimis folliculis & lacunis diſpoſitis in membranæ formam, ſi hæ glandulæ inflammatione tumeſcant, arctant glottidem, ita ut à contractione claudatur, hæc eſt altera anginæ ſpecies.

Pharyngis. Scilicet muſculi dilatatores erectores, depreſſores, conſtrictores aperturæ pharyngis, ad quas quatuor claſſes, omnes referuntur; in ultima deglutitionis actione, quando pharynx accipit cibum & potum, incomparabilis oritur dolor. Muſculus æſophagi forte inflammatus arctaret cavum æſophagi, unde nil tranſire poterit, & peſſima fiet deglutitio.

Glandulæ. Si parotides immaniter turgeant, glandulæ, quæ vocantur παρίσθμια, id eſt, glandulæ in medio æſophago poſitæ & à ſolo *Veſalio* deſcriptæ, faciunt deglutitionem & reſpirationem impeditam, hinc morbi mirabiles, habui caſum in quodam celebri viro, ille accipiebat cibos & potus uſque ad dimidium æſophagi, ibi hærebant, & poſt magnos labores & conatus, iterum emittebat, parum remanente, huic glandulæ æſophagi erant infarctæ; Si tonſillæ valde tumeant nulla fiet reſpiratio, ſic etiam hic eſſe poteſt talis tumor in hac magna glandula, quæ reſpirationem impediet.

Thyroideæ. Hæc eſt idea anginæ, quare nunc Clari Viri uti & in hac Academia Profeſſor voluerit, quod omnis angina nullam aliam ideam habeat, quam tumorem glandularum thyroidearum, hoc certe neſcio, cur ille ſibi hoc perſuaſerit; hæc eſt quidem unica cauſa ſed longe pejor fieri poteſt in glandularum arytenoidearum faſtigio, ſi hoc tumeat, glottis clauſa eſt, hinc glandularum thyroidearum non eſt unica cauſa, plures anginæ ortæ ſunt à glandulis ſalivalibus aut parotidibus maxime intumeſcentibus ab iis, quæ ad æſophagum & circa laryngem jacent, plures etiam thyroideam ſæpe in cauſa eſſe notarunt, quæ tum per ſe non faciunt ad anginam, ſed quatenus ab aliis partibus premuntur, rarius ibi fit, quam quidem creditur, ſed potius ad loca propiora hæret.

§. 783. Si tumor inflammatorius illos muſculos occupet, quibus per voluntatem claudimus glottidem, ilico mors oritur, hic morbus adeo eſt periculoſus, 1. quia materia eſt tam diverſa, 2. loca affecta tam diverſa. Medici recentiores incuſarunt veteres, longe abeſt ut dicam jure, quod de tot ſpeciebus anginarum ſcripſerint, angina, Synanche, Paraſynanche, Cynanche & Paracynanche, ſed puto eos optime ita diſtinxiſſe, quoniam hoc à ſedis diverſitate dependet.

§. 784. Ut detur diſtincta quædam ſpecies hujus morbi, recenſui quidquid boni Auctores ſuper hac re dixere, concludo tandem, quod materia, locus, ac exinde cura eſt multiplex, quam jam explicabimus.



Angi-



Angina Aquosa

§. 785. *Aquosa* vocatur, quando tanta aquæ fit collectio in vasis circa fauces, ut à tumore deglutitio vel respiratio oritur.

Catarrhus est liberæ circulationis per membranæ *Schneiderianæ* vasa impedimentum, unde illa tumet & assurgit, si verò talis catarrhus fiat in faucibus, tunc oritur angina catarrhosa, hinc tumor lymphaticus deglutionem & perspirationem impedit, quod fieri potest in Hydrope scroti, testium muliebrium, abdomine ut in Ascite & Anasarca, ut quasi omnia inter se sepeliantur, idem accidere, potest ad tonsillas, glandulas bronchiales, & salivales.

§. 786. Omnis tumor lymphaticus hæret vel in loco, ubi lympha est extra vasa, colligitur, vel ubi vasa minora lympham distendentia turgent, & hæc ut plurimum in glandulis.

§. 787. Si ambæ jugulares venæ ligentur, ut in experimento *Loweri* in capite fit Hydrocephalus, fauces & palatum tument, laxato vinculo ille tumor disparet; jam si glandulæ vicinæ post æsophagum inflammatæ venis comprimant, fiet oculorum stillicidium salivæ effluxus.

Enatis. Glandulæ lympham tenuem naturaliter fundunt, sed aliquandò hæret materia grisea terrestris lenta, quæ vasa adeo obstipat, ut aquei humores se evacuare non possint, sed tumescunt glandulæ, unde fit angina; hoc ple-

plerumque oritur ad glandulas salivales; vidi in Domina Hagana obstructum emissarium glandulæ salivalis per calculum, unde hujus glandulæ evacuatio impeditur, hinc glandula intus regurgitans per faucium vasa tumores efficit; hinc sæpe hærent in emissariis lapilli ut in ductu hepatico, unde vasa comprimuntur.

Compressio idem efficit, unde videmus suspensos adeo tumere circa has partes.

Frigus. Vidi tumores inde factos, ut pepererint suffocationes anginosas. Si homo habeat has partes maxime calidas & statim se committat frigido aëri, hæ partes se subito contrahunt, unde oriuntur tumores & anginæ, qui morbi vocantur vulgo refrigeratorii, si hic morbus oritur circa glottidem, est lethalis, nisi statim cesset, constitutio anni pluviosa idem efficit *teste Hippocrate*, *Sydenham* dicit rufos præ cæteris his morbis esse obnoxios, omnia acria comesta, quæ fauces constringunt, ut Arum, Lac Esulæ, Euphorbium, Piper longum, potus frigidus à nobis callentibus assumptus; longa harum partium exercitatio, ut cantus, fortis equitatio adverso vento evacuationes solitæ suppressæ, ut mensium, hæmorrhoidum: *Ephemerides* referunt aliquem angina laborasse ex retentione muci narium, quæ curata angina etiam cessavit: tandem spinæ vel officula improvide deglutita & faucibus inhærentia, comprimunt enim hæc vasa vel pungendo vel irritando ad inflammationem disponunt; aliquando etiam per Crisin aliorum morborum producitur; debilior & lentior circulatio idem facit, hæ causæ solæ vel plures conjunctæ faciunt lympham stagnare, tumores creare, vicina vasa obstruere & comprimere,

re, unde variæ hujus anginæ causæ oriuntur.

§. 788. Nam si hæc vitia & phænomena appareant, erit humor aquosus, unde vicina premuntur, hinc functiones impediuntur, omnia vasa, quæ naturaliter sanguineos humores transmittere debebant, hoc ita comprimuntur ut accumulent liquida, & omnes functiones, ad quas excernendas liquida ferebantur, destruuntur.

§. 789. A tumore aquoso, pallido, frigido, Diagnosis est anginæ aquosæ; Prognosis est, si videamus tales tumores, nec illorum incrementum præcaveri possit, tum tandem suffocabitur æger.

§. 790, Curatur sequentibus; obstructio tollitur vel motu vel erosione vel excisione; tum Chirurgus debet esse peritissimus, nam venæ ibi sæpe immediate sunt suppositæ his tumoribus; tum oportet circa totum caput & collum imponere cataplasmata emollientissima ad laxanda quantum fieri potest illa vasa, ut materies obstruens huc diffundi possit; hinc si videam talem tumorem aquosum & pallidum, cogito statim vias esse aperiendas & humorem movendum, sed deobstruuntur & resolvuntur obstructa per aquosa maxime per saponacea & salina, quæ resolvunt & simul subfrigefaciunt, huc faciunt ratione externorum fotus v. g. Radices Bryoniæ albæ rasæ decoctæ in aceto & aqua, cui immisce pannos laneos extrinsecus applicatos, qui optime anginam tollunt, sicut & Bryonia, ita ex radicibus Jalappæ & aliis purgantibus fit, ac ex aromatibus Mentha, Chamælo, Tanaceto, Pulegio, Hedera Terrestri, Nidis Hirundinum &c. ubi laxandum & ape-

aperiendum est juvant gargarismata ex iisdem, non magna vi movendo gutture, sed quietissime continendo, sensim ad fauces demittendo, exspuendo non assumendo, optima autem hic est Fraxinella recens cum aqua, lacte, vel hydrogala cocta in cremorem, quo partes madefactæ maxime emolliuntur, præterea quoque bonum est remedium Ficuum contusarum decoctum, Passulæ, exacinatæ, & alia similia, laudatur ut specificum medicamentum herba Brunellæ, tum Bugulæ si decocta & gargarismata non excipere possint ora, nempe faucium constrictione, tum similis liquor est injiciendus, & vapores laudantur & accenso Thure, Benzoino, Succino & similibus, quibus partes stringuntur, & ita roborantur, ut firmæ maneant. Frictiones maxime roborant & juvant; caustica sunt optima, quæ ad tunicam cellulosam, ubi ille tumor hæret pervenire possunt; hæc caustica applicantur per cannulam & sumantur ex oleo vitrioli &c. sicque erodunt locum, aut per vulgare scalpellum, si accedere possint Chirurgi, tum reliqua sunt frustranea, prius ore firmato, ne comprimi possint, depressa lingua pertundendo, aut fiet per cannulam, nempe introducendo scalpellum, tum ictus fit certissimus.

Apopophlegmatismis. Veteres his utebantur ad educendam salivam; nam ex ore & naribus eliciunt mobile aquosum, hinc veteres usurpabant Mastichen, cui admiscebant aliquid radicis Pyrethri, unde fiebant globuli ad in ore tenendum & salivam evacuandam, hinc tum si in sanguine nimia sit aquæ copia, unde angina oriebatur, hæc remedia proderant; vel etiam prosunt radices Pyrethri & Zingiberis cum Ma-

Mastiche & cera &c. si materia ad aures nimis urgeat, tum versus ea loca vesicatoria nempe ad aures & cervicem ponantur, ut eo trahant, diu aperta tenendo, ut liquor effluat.

Sudoriferis siccis. Sudor tunc temporis elici poterit, modo æger teneatur sub stragulis supposito igne inferius; primaria remedia sunt balneum vaporis, aut quod non ita est familiare, impositio in furnum pistorum moderate calidum vel accenso spiritu vini calidum factum solo capite eminente, ut ex toto capite exhalet aqua; vel Diascordium Fracastorei, Theriaca & similia, quæ maxime aquosa dissipant. Errhina etiam prosunt in morbi initio immittendo in nates educendam aquam. Huc maxime est attendendum, nam etsi morbus in initio videatur refrigeratorius, attamen sæpe postea fit inflammatio & Peripneumonia, unde si tunc ægri utantur calefacientibus, (ut vulgo fit; ægri pessumdabuntur.

Diureticis. Quæ multum aquæ per vias urinæ eliminant, sed aliquando parum prosunt, summum remedium est succus Millepedum (Belgice *Pissebedden*) qui ex his collectis vivis & contritis cum vini albi pauxillo exprimitur, nec hic succus est dandus ad unciam semis, ut vulgo fit, unde effectus parcior, sed ad uncias tres vel quatuor quotidie, aut aqua eliminatur per hydrogaga per alvum per Jalappam, Scammonium & Trochiscos Alhandal &c.

3 Si angina fit ob nimiam aquam, aquæ vel liquidæ parum assumantur, edant ægri panem biscoctum, Raphanum Rusticanum, bibant parum vini meraci, & brevi corpus crescit & humida abibunt.

4. Si æger aqua abundans se movere possit, id


id paulo plus solito semper faciat, fricet corpus pannis asperis calidis siccis, donec partes rubescant & caleant, utatur salibus oleosis stimulantibus aromatis, hac ratione aquosa tolluntur, simulque aqua obsidens guttur vel laryngem.



Angina Scirrhosa.

§ 791. Angina Scirrhosa vocatur, si palatum, velum posterius, tonsillæ & salivales glandulæ in magnum scirrhosum tumorem convertantur, qui tantum increscit, ut respiratio & deglutitio impediantur vel intercipiantur, hoc facile cognoscitur, quia adest tumor, durus, palpabilis vel conspicuus cum respiratione & difficili deglutitione. Post curam inflammatoriæ anginæ, si hæ partes aëri frigido vel frigido potui committantur, nisi post unum duosve menses, nascuntur scirrhi, sed tunc oportet emollire illas partes emollientibus gargarismatibus & fovere potu & aëre tepido, alioquin nascentur scirrhi, qui summopere hic caveri debent, alioquin non facile erunt medicabiles. Cura fere sola perficitur erosione, specie suppurationis; tunc sumitur causticum violentum v. g. lixivium ex Cineribus Clavellatis, & Calce Viva, quod per cannulam applicatur, hacque ratione locus suppuretur, & sic morbus curatur; tamen aliquando hoc succedit, aliquando non, & ægri ideo sibi committendi sunt, modo impediamus, ne malum excrescat, nam per caustica sæpe oriuntur pessimæ & lethiferæ inflammationes;

tiones; si scirrhus sit malignus, cancer sæpe oritur multo pejor, hinc dico cum prudentia fieri debere, aliter moriuntur ægri. Excisio scirrhi hic fit ore deducto parte scirrhosa filo serico constricta & paululum anterius pertracta, bacillo supposito, linguæ depressæ, tum pars abscindatur. Hæmorrhagia hic maxime est incommoda, quæ collutorio ex Vitriolo tollitur &c.



Angina Inflammatoria.

§. 792. *Acutiem.* Musculus manus vel pedis inflammatus felicius curatur, quia manus & pes in quiete retineri possunt, verum si inflammatus sit, v. g. stylohyoideus, curatio non est levis, dum enim deglutitio fieri debet, semper movetur, & quia hæ partes musculosæ ob dolorem ingentem, in quavis deglutitionis actione exacerbatum saliva humectari nequeant, utpote quia deglutitio maxime est læsa, hinc arescunt, & ad quamvis deglutitionis actionem dolorem immanem creant. Musculi anginæ subjecti imprimis sunt illi, qui serviunt claudendæ glottidi, & movendæ, dum vox fit. Anginæ oriri solent intra annum vigesimum quintum & quinquagesimum in flore ætatis, & etiam hominibus plethoricis & rufum capillitium habentibus.

§. 803. 1. *Inflammationem voco, sanguinis rubri vel cujuscunque generis liquidi arteriosi in canalibus arteriosis stagnationem & virium vitæ in stagnantes partes ulteriorem pressionem cum febre* con;

conjuncta: hincque ignis collectio in loco inflammato, tumor, rubor, dolor, &c. attendenti ad hanc definitionem ſtatim apparet, cauſam inflammationis proximam eſſe ſtagnationem: igitur quid ſit ſtagnatio & per quas præcipue fiat cauſas, ut inquiramus neceſſe eſt: liquidum ſtagnare dicitur, quando per vas, per quod tranſire debebat, tranſire nequit, ſed in illo remoram patitur. Talis ſtagnatio producitur imprimis ex quadruplicibus cauſis. 1. Vaſorum compreſſione 2. Vaſorum nimia contractione. 3. Sanguine nimis craſſo, errore loci. Primo itaque fit vaſorum compreſſione liquidi ſtagnatio in vaſis; quia per compreſſionem vaſorum diametri minuuntur, unde partibus liquidorum ante ſatis facile tranſeuntium idem tranſitus nunc denegatur; impedito autem liquidi transfluxu fit ſtagnatio. Examinemus, quibus ex cauſis vaſa comprimantur.

Tumore: Tumor vocatur partis aut totius corporis in magnitudine naturali augmentum. Concepta hac tumoris definitione ſponte patet, ſi tale præternaturale augmentum fiat circa vaſa, illa vaſa debere comprimi, & à tali compreſſione vaſorum capacitatem minui, hinc & fieri humorum ſtagnationem. Lucide illud affirmant plurimæ obſervationes: ſic dantur, ab aqua in membrana celluloſa pedis collecta, vaſa ad muſculos pedis tendentia ita compreſſa fuiſſe, ut nullus ſanguis intraret muſculos, & hinc omnem pedis motum fuiſſe deletum: ſic & dantur obſervationes, anginam aquoſam (quæ eſt tumor lymphaticus faucium vel qua-

rumcunque adjacentium partium) excitasse inflammatoriam.

2. *Plethora.* Quæ vocatur humoris boni in corpore abundantia; in illo enim statu vasa plus solito distenduntur, hinc & vasa his vicina comprimuntur: exinde, quam optime omnes fere Auctores scribant, corpora sanguinolentissima inflammationi esse proxima, patet.

3. *Liquidi* stagnatio fit inflammatione vasorum minimorum, vasa majora pro parte constituentium; illa enim vasa minima inflammata tumescunt, eosdemque, ac binæ superiores causæ, producunt effectus.

4. *Luxatione.* Luxatio præsens dicitur, ubi os sedem suam naturalem in totum, vel pro parte excidit: ubi jam talis luxatio adest. 1. vasa ossi annexa, uti plurima sunt, (anectuntur enim vasa ossibus, ut in longitudinem essent porrecta) elongantur, & hinc necessario in suis capacitatibus minuuntur, 2. docuit Anatome, omnia ossa habere circum accretam membranam admodum vasculosam, periosteum dictam, cujus vasa in tali luxatione necessario debent comprimi: hinc intelligitur, cur talem vertebrarum luxationem inter anginæ inflammatoriæ causas posuerit *Hippocrates* Lib. 2. Epid. Sect. 2. Dantur adhuc aliæ causæ comprimentes vasa, sicque stagnationem producentes; sed quoniam illæ ad scopum nostrum absolvendum non ita spectant, illas transeo, & explicare suscipio, quomodo vasorum nimia contractilitas stagnationem faciat.

Hic pro re demonstrata assumo, vasa imprimis arteriosa, instructa esse fibris musculosis satis fortibus.

Ni-

Nimiam fibrarum contractionem voco talem fibrarum vim, per quam hæ fibræ non cedunt illi vi corporis vel humorum transeuntium, cui vi cedere deberent, ut fierent in tali parte illæ conditiones, quæ ibi sanitatem faciunt. Posita tali contractilitate, magis anguſtantur vaſa, non enim cedunt latera vaſorum vi irruentis liquidi: unde liquet, humores ut ante tranſire non poſſe, ut mox de vaſis compreſſione arctatis vidimus. Talis autem fibrarum cohæſio conciliatur.

1. Motu nimio & diuturno: illo enim vires conſolidantes partes plus applicantur ad partes conſolidandas; ſic enim fibræ fiunt fortiores, & majori vi ſe contrahere valent ſicque anguſtant cava vaſorum, & ſanguinem tranſire non permittunt. Hinc dicit *Hippocrates, Corpora exercitata à Pleuritide difficile liberantur, quieſcentia facilius.*

2. A liquidi nervoſi vel ſanguinis majori quam naturali per fibras vaſorum diſtributione: conſtat enim certis experimentis, muſculum moveri ab influxu liquidi nervoſi & ſanguinis arterioſi; quo itaque majori copia talis humor ad fibras muſculares fertur, eo major erit illarum actio, omnis autem muſculus agens ſe accurtat, fibræ itaque orbiculares arteriarum agentes vaſis diametrum minuunt, & hinc ſtagnationem cauſant.

3. Adſtringentibus: quæ ſunt talia, quæ habent vim augendi fibrarum contractilitatem, hinc & ex ſuperioribus ſtagnationem producendi, talia ſunt plerique fructus immaturi, vina auſtera &c.

4. Omnibus ſtimulantibus contractilitas nimia fibris muſcularibus conciliatur: per ſtimu-

lantia intelligo illa, quæ fibras motrices ita irritant, ut motus oscillatorios augeant, & spasmos inducant, talia sunt omnia acria &c. v. g. cadat gutta una alcoholis purissimi in oculum, statim musculus depressor palpebræ superioris ita spasmodice se contrahet, ut, quidquid tentet homo, oculum apertum tenere nequeat; talia si fierent in fibris vasorum muscularibus, quosnam producerent effectus, ex dictis patet.

5. *Imminuta vi vasa extendente:* si v. g. arteria dimidiate discissa, tantum aliquando stillabit sanguinis, ut læsus inde ad orcum deduceretur, sed monent optimi Chirurgi, & quotidiana experientia confirmat quod, si arteria (non nimis magna tamen) dimidiate sit discissa, & sanguinis effluxus sisti nequeat, pars adhuc cohærens abscindi debeat, tunc enim arteria se ipsam musculosa sua vi contrahit, stagnationem facit, sanguinisque effluxum prohibet: hæc videtur causa, quare omni fere vulneri inflammatio superveniat.

Huc usque vidimus, per quas causas vasa ita possint peccare, ut fiat humorum stagnatio; jam sequitur, ut describamus, quomodo vasis, licet bene se habentibus, ex solius liquidi vitio talis status fit, qui dicitur stagnatio: ille autem fit, vel 1. ex mutatione figuræ partium sanguinem constituentium, vel 2. ab incrassatione aut expulsione liquidissimæ sanguinis partis.

1. *Mutatiote figuræ* &c. docuit *Leeuwenhoek* omnes particulas sanguinis nostri esse sphæricas; omnis jam sphærica figura pendet deinde, quod pressio ab omni parte æqualis corpori flexili applicatur, hinc sequitur, si pressio

pressio ab omni parte non sit æqualis, liquidi particulas ex sphærica in aliam figuram mutari: demonstratum vero est à Mathematicis, quod omnis alia figura ex sphærica facta, majorem semper acquirat superficiem. Inde sequitur, talem liquidi partem ex sphærica in aliam figuram, vel non posse transire per vas, solummodo (uti multa sunt) unum globulum sphæricum transmittens, v. g. si in cubicam figuram mutata sit, vel non omni ratione posse transire, ut v. g. si in cylindricam, sphæra autem omni ratione transire potest.

2. *Incrassatione* &c. Sanguis incrassatur coadunatione globulorum sanguineorum antea seorsim fluentium; v. g. ponamus, quod, ut liber sanguinis transitus maneat, requiratur, ut per datum quoddam vas unus globulus sanguinis rubri fluat: si ergo duo tales globuli, ex quacunque sit causa, sunt uniti, non transibunt per tale vas, sed stagnabunt. Illa vero sanguinis crasis variis ex causis oritur: sic *α* quiete, quod apparet in sanguine e corpore licet sanissimo misso, si stet per aliquod tempus, serum suum dimittit, in fundo manet massa rubra sanguinis, placentæ ad instar concreta, constans ex moleculis antea sphæricis jam coadunatis: *β*. calore maximo, omnis enim calor magnus majorem sanguini motum conciliat, hinc & auget attritum ad vasa, hinc fit liquidarum partium expulsio; remansio crassarum & minus mobilium tunc coëuntium; quam egregie itaque agant Medici illi, in morbis inflammatoriis præscribentes calida medicamenta, hinc liquet: *γ*. frigori expositus concrescit cito; ita quoque observatur, quod homines, qui sese maximo frigori exposuere, fiant som-

nolenti, ficque moriantur, cadaver tale apertum fanguinem polypofum concretum oftendit: δ. omni motu excretorio aucto, quo liquidiffima humorum pars eliminatur, ut fit nimiis purgationibus, fudoribus &c.

Jam defcribi debet, quomodo errore loci fiat ftagnatio; per errorem loci intelligo, liquidi ex vafe fuo in vas fubordinatum fluxum, ut fi globulus ruber fanguinis, qui (demonftrante *Leeuwenhoekio*) conftat ex fex ferofis globulis, flueret in vas aliquod laterale, folummodo fanguinis ferum vehens, præfens foret ftagnatio errore loci. Fit talis error loci præcipue 1. plethora, 2. motu nimio diuque continuato, 3. debilitate vaforum.

1. Plethora eft abundantia boni humoris in corpore; hinc in hoc ftatu vafa plus folito liquidi continent & dilatantur; adfit v. gr. in corpore quodam plethora fanguinis rubri, tunc eo magis impletæ & dilatatæ erunt arteriæ, arteriæ autem habent vafa lateralia ofculis patulis in arteriis hiantia, folumque fanguinis ferum admittentia, ergo & eo magis erunt dilatata ora illorum vaforum feroforum ita, ut aliquanco loco folius fanguinis feri, globulos fanguineos rubros admittant, quod fi fiat, aderit in tali vafe ftagnatio errore loci.

2. Motu nimio &c quod fic probo, docuit Anatomia maximas venas effe locatas circa mufculos, qui, fi agunt, premunt venas, hinc & earum contentum fanguinem: fanguis vero ita continuo preffus debet fubito vel adfcendere verfus cor, vel defcendere ad inferiora, defcendere autem propter oppofitas valvulas nequit, verfus cor ideo citius pellitur, quo jam major eft fanguinis motus, eo majori copia dato tempore

tempore ſanguis per vaſa fluere debet, hinc neceſſario eandem pati debet, ac in plethora, dilatationem, effectus vero hic major erit à magna vi, qua ſanguis impingitur in ora dilatata.

3. Si paulo cogitationibus noſtris hæreamus in illis binis cauſis errorem loci producentibus, clare concipimus, illum fieri à ſphincteribus (ut ita loquar) vaſorum illorum, ad impediendam dilatationem in validis: hinc hic pro tertia generali cauſa addo, omne, quod facit vaſorum debilitatem, erroris loci cauſa eſſe poteſt; ideo ſæpiſſime obſervatur, quod homines laxiſſimæ & debilis ſtructuræ, ut Hydropici &c. circa quædam loca inflammationes patiantur.

Enarratis plerisque cauſis ſtagnationem excitantibus, ſponte ducimur, ut inquiramus, an illa ſtagnatio fiat in arteriis, venis, vel ambabus ſimul.

Omnis ſtagnatio humoris tanta, ut poſſit excitare inflammationem, fit in arteriis, nunquam in venis, (portarum vena tamen excipiatur) hoc nos clare docent arteriarum & venarum figuræ. Arteria eſt vas conicum, ſcilicet ex lata baſi in anguſtum extenſum, hinc liquida in illis contenta à majori diametro in minorem truduntur: contrario modo ſunt venæ, quæ figuram coni inverſi habent, ſcilicet ex anguſtiori principio in latiſſimum finem deſinentes; vas autem tale obſtrui nequit, quia ſuos humores vehit à minori diametro in majorem, qui eo facillime ducuntur, ubi reſiſtentiæ minus habent.

Quæritur tandem, ſi talis ſtagnatio, qualem deſcripſimus, adſit in arteriis, an tunc adſit inflammato? Reſpondeo nequaquam; contra-

rium enim nos docet cadaver, in quo eſt quidem ſtagnatio humorum in arteriis, nunquam tamen inflammatio fit, neceſſario virium vitæ actiones in ſtagnantes partes requiri.

Jam reſtat, ut dicamus, unde febris, ignis collectio, imprimis in parte inflammata, major tumor, rubor, dolor &c.

Febris illa inflammationis ſoboles adeſt duplici ex cauſa.

1. Quia per obſtructa vaſa nihil ſanguinis fluit; hinc certo per aperta eo majori copia tranſit.

2. Adeſt quoque febris, quia fibræ muſculares vaſorum, magno nixu conantes obſtruens transjicere, irritantur, ut citius ſeſe contrahant.

Ex binis his cauſis clare patet, quare in omni morbo inflammatorio adſit pulſus plenus & durus.

Ignis collectio fit exinde, quia hic adeſt febris, & naturæ maximus conatus ad obſtruentem materiam tranſmittendam, hinc augetur attritus: conſtat autem, omnem corporis noſtri calorem pendere ex attritu, qui fit inter ſolidas parter & fluidas noſtri corporis; aucto ergo hoc attritu, patet, quod debeat augeri calor, id eſt fieri collectio major ignis in parte inflammata, ubi attritus augetur.

Unde tumor, dolor, rubor adſit, ſponte ex dictis deduci poteſt.

Præmiſſis his de inflammatione, tranſeo ad ipſum morbum explicandum.

2. Cauſa quæ materiam inflammatoriam determinat ad certam tum inflammatam partem.

Su-

Superiora. Hæc enim si prius accesserint, malum faciunt.

Rufis. Hisce tribus hic morbus est familiaris.

Exercitium. Maxime hinc obnoxii sunt Oratores, ut sunt Advocati causarum ministri publici, & omnes, qui multum clamant. Qui citatis equis adverso feruntur vento, quia ventus equitatu cito fit fortior, unde sæpe accidit, ut integræ turbæ equorum evadant anginosæ, ventus enim frigidus contrahit & mole resistente premit, hinc pars inflammatur, hæc est ratio, cur equites in castris tam sæpe post expeditiones in anginas incidunt. Tubicines & Musici vocales corripiuntur pluries angina, dum Hyberno tempore in sphæristerio luditur, quia à motu calescunt, aër frigidus in os irruit ab antiperistasi, sæpius fit angina, si post magnum concubitum calor accedat, postea subita refrigeratio, tum plerumque oritur hic morbus, ut fauces siccatæ & constrictæ sanguinem excludant.

Labores. Qui Hyberno tempore in summo frigore laborant, ut incalescant, angina corripiuntur, nam nunquam sanguis magis incalescit, quam circa cor & fauces, hinc aër frigidus accedens facile anginam creat.

Verno. Ver calidissimus subsequens post Hyemem frigidissimam anginam facit, sic postquam ultimum frigus habuimus, cum tam subito regelascebat, plurimos in anginas & catharros incidisse vidi.

§. 794. Symptomata maxime variant pro varietate causarum & loci.

§. 795. Si membrana musculosa seu mucosa inflammatio adsit, tunc illa membrana ad

finulos refpirationis actus distrahitur &c. verum fi adfit talis inflammatio, non videri poterit, fed cognofcitur 1. quia febris Acuta inflammationem in corpore adeffe denotat, 2. à loci dolore cognofcetur, 3. à voce per parvum foramen exeunte, 4. propter refpirationis difficultatem,

Ulla. Notum eft, quod tota afpera arteria ad bronchias & ad veficulas pulmonales fit obducta tunica interna mufculofa, quæ vafculis fanguineis pleniffima inflammari poteft; omnis locus inflammatus dolet, calet, tumet, verum cartilaginea fubftantia impedit tumorem exterrè confpicuum, hinc poteft effe fine tumore-fruftra contradicentibus multis. Hæc *Hippocrates* dicit peffima, melior vero quam cum tumore.

Vox fibilans. Cognofcitur adeffe, quo fiftula pulmonalis conftrictior, eo auctior fonus, quod Mufici norunt, quo amplior fiftula, eo magis Baffum fonat, hinc quia fiftula angufta altum vel gracilem fonat, ergo anginofis vox eft fæminea.

Infpiratio. Nam in omni infpiratione aër fe maxime extendit, & proinde fquammas removet, unde acutiffimus oritur dolor, fi æger, dum infpirat, in ipfo infpirationis fenfu fentiat has partes fine tuffi maximo dolore affici, tum ibi eft malum, dolor maximus effe debet, quoniam liquidum eo temporis fpatio per canalem anguftatum tanto velocior tranfgredi debet, ut *Keilius* bene demonftravit, hinc æger tanto vehementius laborare debet ad exfpirandum aërem, quanto anguftior trachea facta eft, & ille dolor eft æque magnus ac in gravedine.

Ref-

Respiratio parva. Parum aëris simul exspirans & emittens frequentior, aliquando erecta summo cum molimine humerorum, costarum & scapularum, quia per tam arctam rimam aër sufficiens non intrat, sed paucior quam ut sanguis transeat, nisi violento hoc motu.

Circulatio difficilis. Omnis enim causa, quæ aërem ad pulmones ire impedit, etiam circulationem per pulmones impedit. Circulatio fit bona, quando pulmo lente & æquabiliter extendi & deinde lente & æquabiliter collabi potest, sed cum aër pulmonem recte expandere non possit, hinc homo fit Peripneumonicus, tunc enim per Peripneumoniam, non vero per anginam moritur.

Vacillans. Tum pulsus vix tangitur & decies magis vacillat, quo reliqua violentiora sunt, & ipsa febris est acutior, proinde Medicus hujus rei ignarus non judicaret ægrum in tanto periculo versari, sed hic status proximus est suffocationis, quæ suffocatio ad aëris s ingressum in pulmones impeditum oritur, quia hi tum sanguinem retinent; hinc vix audemus sanguinem mittere; ratio clara est, quia pulmo aërem sufficientem non recipit, sanguis transadigi non potest, hinc cor sinistrum nil accipit, nec arteriæ, unde pulsus adeo fit debilis.

Cita mors. Quoniam in his ægris sanguis per pulmonis arterias in venas pulmonales, non fluit, nam inflammatio non permittit, ut musculi Mesochondriaci tantum extendantur.

Lethale. Hoc clarissime intelligitur, nam apertura laryngis non est in tota fistula, sed per parvam rimam in cartilagine, hinc ibi periculosior, sed interius ob amplitudinem tantum

non facit malum, lethale eſt, quia ibi ſumma eſt anguſtia.

§. 796. *Diriſſima angina.* Poteſtis ipſi, quando vultis ſic claudere aërem, ut nullus aër ex pulmonibus ire poſſit, organa, quæ hoc faciunt, ſunt cartilagines arytenoïdei uti muſculus albus *Dodartii* & muſculi carnoſi alii, ſi nunc inflammatio hoc faciat ſine imperio mentis voluntario, glottis perfecte clauſa eſſe debet, hi homines ſubito moriuntur ſine ulla febre, omnis enim aër, qui dilatat pulmones, per ſolam rimam glottidis ire debet, jam per pulmones tranſire non poteſt, ibi accumulatur, ergo vix ad ſiniſtrum cor perveniret, vixque in arterias, unde ægri moriuntur. Sola apertura pulmonis eſt glottis; hic duplex eſt genus muſculorum carnium & album; carnes veteribus cognitæ fuerunt, claudentes rimam; ſed præterea Academia Regia Pariſienſis aliam demonſtravit, contrahentem album fibroſum, ſi hic inflammetur ſtatim claudit rimam & ſubito mortem infert hæc eſt revera Cynanche *Hippocratis* ſeu *κυνάγχη canina*, quia inſtar canum æſtuantium ore hiante aërem hauriunt; ſibilant, & oculos rubicundos & protuberantes habent. *Dodartius* demonſtravit glottidem non modo moveri per alios muſculos, ſed etiam per illum muſculum album.

Dolor inter loquendum &c. Talis eſt conſtitutio ſoni non humani, ſed eſt ſibilis quaſi avium acutiſſimus, hæc angina citiſſime necat cum maximis angoribus, quia ægri reſpirare non poſſunt, & laborant, quaſi ſuſpenderentur, nil tamen exterius apparet, quia parvi interni muſculi totam fiſtulam conſtringunt.

Stridula. Inſtar limæ in ferrum agentis, ac pue-

puerorum recens natorum; talis vox etiam fit in summo motu, sed clare patet hoc ita esse debere, quia aër transit per minimum foramen, quod est præcipuum signum; hinc ad minimum nixum deglutitionis aut vociferationis fit maximus dolor.

Mors plerumque accidit intra unam horam.

Omnium pessima. Hanc vocant Auctores Cynanchen, ægri hoc morbo laborantes linguam ex ore exserunt, pinnas narium attollunt, facies livescit, ut in suspensis, oculi protuberant, si eorum corpora aperiantur, nil in his conspicitur, quia in morte inflammatio remittit.

§ 797. Alia iterum anginæ species, tum larynx non elevatur, deglutitio primo maxime dolet, ille dolor, si larynx sursum trahatur, est in musculis laryngis vel ossis hyoïdis, dum enim deglutimus, musculi stylohyoïdei sursum & ad posteriora trahunt hyoïdis os, musculus thyrohyoïdis inflammatus simul trabit illas partes, unde tantus dolor in incipiente deglutitione, in secunda deglutitionis actione scilicet trusione infra laryngem omnis dolor evanescit ob laxationem, sed observatur tumor, rubor, dolor ad collum, aut ad posteriora linguæ; quando musculi deglutitionis afficiuntur, respiratio est satis libera, sed quando deglutitio fit, & cibi & potus versus fauces delati sunt, tum musculi ossis hyoïdis sursum elevant hoc os, si nunc hi musculi inflammati sint, summus in hac actione oritur dolor, in hoc casu est febris longe major ac in prioribus, licet tantum non adsit periculum.

§ 798. *Apparentia.* Pharynx non habet mu-

fculos dilatantes unum conftringentem, fi tumor in fphinctere, æfophagus clauditur, hinc impoffibilis eft deglutitio, fi mufculi dilatantes inflammentur, tumentes claudunt proprium iter, fed in deglutitione explicantur, hinc dolor maximus in deglutiendo oritur; affumpta per nares redeunt, larynx non afficitur, cibus in laryngem trahitur, bolus eo ufque delatus non tranfiens per nares regurgitat, fi potus in eo ifthmo perveniat, per nares truditur, irruit in epiglottidem complicatam, epiglottis elevatur repulfione affumpti, unde aliquid cadit in tracheam, hinc tanta tuffis & moleftia defectu alimenti, quod æger affumere nequit.

Exficcatio. Quia nil novi humoris accipitur, febris non eft tanta, quia adeft defectus humorum, hinc clyfmata vitam diu fuftinere poffunt, licet *Helmontius* aliique hoc rideant, injeci fæpe plures libras jufculi carnium, quæ omnia in fanguinem, fudorem vel urinam abierunt, hac ratione vitam fuftinere poffunt ægri eo ufque, donec angina fuppuretur, vel aperiatur, vel rumpatur apoftema.

Mortem. Quia nono die apoftema rumpitur.

§ 799. Vix quifpiam noftrum eft, qui hunc morbum non habuerit, inflammationem fcilicet tonfillarum & veli palatini, qui enim aperto ore dormiunt, ab aëre has partes exficcatas accipiunt, tum magna falivæ copia opus eft ad has partes leniendas. Homines fi refpirationem habeant difficillimam per nafum, tum nullam vel paucam per os habent, tamen non per nafum loquuntur, ut vulgo falfo dicitur, fed velum palatinum contra narium foramina cedit, ut aër non tranfire poffit, materia af-

fumpta & faliva per os redit, & hæc eft angina falivofa, hinc excreatio perpetua, hinc ftillicidium.

Per os. Quia loca inflammata ad velum pendulum & tonfillas convelluntur, hinc fi æger bolum deglutire velit, tum ille per os retropellitur.

Dolor in aure. Mufculi pterygo-ftaphylini interni & externi & falpingo-ftaphylini vadunt ad mufculos *Falloppii* & *Euftachii* ad internam aurem, nempe ad tubam Euftachianam, quo mufculi inflammati claudunt orificium tubæ; vix unquam videbitis hominem, qui angina feu venerea, feu catarrhofa, feu inflammatoria laboret; quin aures doleant, & quidem adeo, ut dolor ad aures major quam in faucibus oriatur, quia dolor adeft in parte, ubi adeft tuba Euftachiana, & dum ægri audire volunt, membrana tympani videtur quafi crepita.

Crepitatio oritur in deglutitione, quia tum velum palatinum expanditur à mufculis Falloppianis, qui fimul tument & membranam trahendo faciunt fenfum crepitationis; furditas eft frequens imprimis inflammato palato & tonfillis, unde ægri diu furdi funt, nam demonftravit *Valfalva*, quod à tuba Euftachiana obftructa furditas oriatur, hinc fi hæc pars claudatur à tonfillis veloque tumente, tum furdi funt ægri.

Surditas perfecta. Ægri atroci angina à faucium inflammatione laborantes fiunt furdi, fed fanata angina perfecte audiunt, docuit per experimenta Anatomica *Valfalva*, quod fi tuba Euftachiana, quæ poft velum pendulum palatinum jacet, per valvulam claudatur, quod tum oriatur furditas, fi ergo per inflammatio-

nem

nem iter aëris intercludatur, auditus perit; hoc malum iis est frequens, qui Lue Venerea laborant, tum enim ad faucium posteriora prope colli vertebras ulcera conspiciuntur, si hic loci ulcera appareant, & de dolore aurium ægri conquerantur, tum si non statim iis adjuvetur, auditus & nasus ob vicinitatem membranarum pereunt.

§. 800. Si hæc bene cognovistis, non opus erit, ut diversis nominibus vos gravetis, nam statim videbitis, quænam anginæ sunt conspicuæ, nam istæ, quæ non conspicuæ magis periculosæ sunt; quod ad Prognosin hujus morbi attinet, est, quod sit morbus acutissimus & periculosissimus, cito ægros suffocans, ratione tamen partis affectæ periculum vel increscit vel decrescit; sic illa angina, quam dixit *Galenus* κυνάγχη est omnium periculosissima, hæret enim in illa specie inflammatio ad illas partes maxime respirationi inservientes, hinc libera aura vesci nequeunt tales ægri, homine autem non libere respirante, cessat liber sanguinis transitus per pulmones ad vitam continuandam adeo necessarius, unde tunc oritur Peripneumonia, hæcque est causa quare raro hi anginosi moriantur, nisi superventa prius Peripneumonia; hanc subsequitur secunda species, quæ quoniam externos laryngis musculos inflammatos habet, non ita periculosa observatur, minus tamen periculi habent binæ posteriores, his enim modo impeditur deglutitionis actio, & illa licet impedita vita aliquantisper superstes manet; inter bona signa habentur omnia illa, quibus morbi interni inflammatorii levantur; ut sunt sputa bona scilicet libera copiosa, flava, crassa, cum strigmentis sanguineis mixta, vel alvus aut uri-

na talis, diebus criticis cum levamine excreta, sic & hæmorrhagia aut fluxus hæmorrhoïdalis similis, tumor in collo ab *Hippocrate* pro bono signo describitur, dicit enim *ab angina detenta tumorem fieri in collo bonum* & addit *ferox enim vertitur morbus*; melius enim est fieri transmutationem à partibus nobilioribus ad ignobiliora; idem testatur *Hippocrates*, *quibuscunque simul fauces rubent & cervix*, *sunt hæ anginæ diuturniores*, *maxime vero ex his servantur*, *si & cervix & pectus traxit ruborem*, *nec ignis sacer introcurrat.*

§ 801. *Vultus.* Tum venæ post hæc loca concurrentes comprimuntur à tumore interno, sanguis à capite rediens impeditur & colligitur, unde tumor faucium, labiorum & linguæ & vultus, ut in animalibus suspensis lingua exeritur, quia sanguis non rediens vel transiens linguam trementem rigidam & exsertam reddit, unde frequens linguæ intorsio & oculorum inflammatio, rubor semper apparet, quia oculorum venæ maxime protuberant, ut in suspensis oculi eminent ex orbitis, clare hoc percipitur, nam licet jugulares venæ comprimantur, carotides arteriæ non, hinc vasa implentur usque ad distensionem & cerebri suffocationem, sæpe nec videre nec audire possunt ægri; toto cerebro suffocato & obfuscato, delirium superveniens quoque mors sequitur, hinc sæpe delirant, dum sanguis per carotides allatus capitis vasa maxime distendit, medullam comprimit, reditu per venas jugulares impedito.

Horrendus. Simulac enim venæ jugulares paululum adstringuntur, hæc phænomena ilico fiunt, tum enim sanguis per pulmones nec

per

per venam cavam ire poteſt; unde jugulares ſe evacuare non poſſunt, quæ eſt cauſa quare hæc ſymptomata oriantur, ſolum hic eſt remedium, ut inflammatio tollatur.

Viſus, *auditus.* &c. Quando nil ſentiunt, nec ſe mala habere dicunt ægri, tum pereunt, ſanguis enim per jugulares redire non poteſt ob inflammationem, manet in cerebro, & in cerebri finibus, & in magnis cerebri venis, totum cerebrum comprimitur, hinc nil ſentientes pereunt, ſimulac ergo hebetudo incipiat, intra momentum moriuntur, & quidem quando minime creditur, nam facies apparet ruberrima, ſed hæc facies eſt quaſi ſuffocatorum, unde veteres vocant anginam ſtrangulantem.

Stertor. Quia apoplectici fieri incipiunt.

Raninæ tument. En cauſam errorum omnium Medicorum, & Chirurgorum, qui quoniam venæ raninæ tument & diſtentæ ſunt ſanguine nigro, putant, quod hic eſt cauſa mali, & hinc has venas incidunt, ſed illæ tument, quia jugulares in venam cavam ſanguinem evacuare non poſſunt, quæ vena eſt ſanguine plena, & ſanguinem cordi dextro dare non poteſt, nec hæc pulmonibus hinc horum inciſio nil juvat, nam hic non eſt malum, ſed inflammatio interna circa glottidem eſt ſiſtenda. Venæ raninæ dictæ adſunt ad linguæ radicem, in quibus uti & in frontalibus venæ ſectio conducit, quia cerebrum allevat, ſed introducta eſt ex malo principio, quod quidem ſanguinis circulatione non ſatis intellecta, veteres putarunt ſanguinem in his venis ſtagnantem eſſe anginæ cauſam. Mala ſigna ſunt ſecundum *Hippocratem*, ſi cocta celeriter excernantur. Sic enim ſcribit: *angina laborantes, niſi celeriter*

tocta exspuant, *malum denunciant*; hæ enim si justo tempore justa forma adessent, resolutionis signa darent periculosissima, illa quoque ipsi habetur angina, quæ subito accedit, nil conspicuum facit, & maxime statim lædit actiones respirationis vel deglutitionis; sic enim dixit; *Anginæ horrendissimæ sunt & citissime accedunt, quæ neque quicquam in faucibus aut cervice conspicuum faciunt, verum plurimum dolorem exhibent, & erecta cervice spirationem inducunt, hi enim eodem die suffocant, secundo item ac tertio ac quarto*, & addit, *quæ vero anginæ similiter dolorem exhibent, sed attolluntur & in faucibus rubores faciunt, perniciosæ quidem valde sunt, verum prædictis longiores si rubor fiat magnus.* In prima hujus Prognoseos parte veram κυνάγχης descriptionem dat, nempe cum musculi vel partes laryngis internæ sunt inflammatæ; cujus inflammationis tumor statim omnem aëris per asperam arteriam transitum impedit, unde misere mori debent; hæc angina vocatur tecta, & observatur a nunquam satis laudando *Sydenhamo*, illam homines multum natura vel arte evacuatos plerumque vexare, hinc in posteriore vult indicare, quod si tumor ad externas partes transeat, ægrum quidem interficere possit ob magnitudinem inflammationis, sed saltem jam major spes fit in *angina*, *qui abs re prorepunt dolores ad caput cum febre, sunt mortiferi*; lethalem quoque prædicere eventum tumores evanescentes absque levamine dixit *Hippocrates*, sic enim ejus verba sonant; *tumores absque ulla ratione evanescentes lethales sunt*; malum etiam exitum observavit idem Auctor, si dolores ad caput vergant, malo æque violento manente, hæc enim docent mor-

bum

bum esse admodum pertinacem, quia illa absque levamine contingunt, & simul indicant cerebrum sanguine gravari. Memorat etiam *Hippocrates*, *quibus anginam effugientibus ad pulmonem vertitur in septem diebus moriuntur; si vero hos effugerint, suppurati sunt:* hoc si accidat, vult denotare Venerandus Senex, adest inflammatio, quæ si fiat in corpore prius angina inflammatoria corrupto plerumque necat; in illo enim omnis sanguis jam est inflammatorie densus factus, in septem diebus tales moriuntur, dicit *Hippocrates*, & non mirum est, omnis enim Peripneumonia Vera intra septem dies resolvitur, suppuratur, mortem inducit, vel transit in alium morbum. Si angina oriatur per crisin alterius morbi, est mala; quia æger jam magno morbo debilitatus, hunc novum ferre non potest.

§ 802. Angina est inflammatio partium in hoc loco non major quam in digito; sed hac functione carere non possumus, abit in resolutionem, scirrhum, ut omnes aliæ inflammationes.

§ 803. *Pura* inflammatio vocatur, quæ nec dum suppuratur, nec gangrænescit, vel ubi vasa sese habent, ut nondum facta sit perfecta gangræna; nam si gangræna facta sit, licet sanguis mittatur, æger moritur, & dicunt ignari, quod æger mortuus sit à venæ sectione; tum igitur debemus amicos monere, quod æger sit in statu unde moriturus, sit, sed tamen si sanguis mitteretur, servari posset, quamvis non certissime.

Citissime. Nam sæpe si dimidium quadrantis horæ exspectas, æger moritur, vocatus fui ad hominem, qui in dolorem circa guttur mane

mane & mox in vocem gravissimam inciderat, hic æger non credebat se magno morbo laborare, accedens videbam statim ægrum moriturum, venæ sectio instituebatur, quæ non juvabat, cum de remediis disceptatio oriebatur inter disceptandum æger suffocatus periit, ergo quæ tentantur ilico, & audacter tendanda sunt. Si angina in partibus periculosis sit, statim advertatur, an parva adhuc inflammatio, si hæreat interne in fistula pulmonali vel circa laryngem, an nondum tendat in suppurationem vel gangrænam. Cognoscitur pura inflammatio, si morbus non multas horas duraverit; si febris vel summus dolor præsertim punctorius adsit, & tunc citissime est tentanda resolutio, suppuratio hic mala est, quia hæret in larynge & prius exstinctus esset æger.

1. In hoc morbo sanguis est educendus, donec tumor collabatur, vel si opus sit, repetatur, nil autem præstantius est missione sanguinis, nam omnibus indicationibus satisfacit; multi volunt incidi venas jugulares vel raninas, & dicunt multos anginosos venarum jugularium apertione à se curatos esse, sed alii non male putant venæ sectionem in brachio sufficere, quoniam nostra præcipua intentio tantum est sanguinis evacuatio, & quia non semper in nostra potestate est sanguinis fluxum illis locis sistere; hinc venæ sectio larga (non parva, nam illa motum accelerat, & magna inhibet) è lato vulnere in brachio, ut sanguis, qui motu suo nimium ad fauces incendium facit, minuatur, quæ venæ sectio symptomatibus nil remittentibus repeti debet, ut magnus suadet *Sydenham:* hac peracta, ut magis adhuc à faucibus revellatur sanguis, juberem, ut æger pe-

dibus

dibus sederet erectus in aqua calida, sic enim & situ corporis & vasorum ampliatione raptum sanguinis ad superiora minuo. Quo hi ægri sunt fortiores, eo sunt debiliores quo ad pulsum, quia sanguis in pulmone per Peripneumoniam sistitur. Deberet in hoc casu potius institui Arteriotome.

2. Simulac missio sanguinis est instituta, vasa mesenterica & intestinalia laxare studeo ad levem Diarrhæam obtinendam, hinc bis, ter, quater, quinquies de die injiciuntur clysmata ex Tamarindis, Sale Prunellæ, Saccharo fusco; vel simile v. g.

℞. Flor. Alth. ℥iv
— Malv.
— Violar. ana ℥iij
— Par. Hortens. ℥iv
Herb. Malvæ
— Bismalvæ
— Verbasci ana M. iij
Coq. in S. Q. Aq. puræ, ad Colatur. ℔j
adde
Elect. Diacatholic.
— Diaprun. solutiv. ana ℥j
M. F. Enema.

Hac ratione intestina fiunt laxissima, ut nil contineant, purgantia non sint violenta, mordentia ex Jalappa, & Scammonio, quæ hic mala sunt, sed lenia, quasi intestinis Paralysin inducentia nempe pulpa Cassiæ Fistulæ, Tamarindorum, Rheum &c. vel simile.

℞. Se-

℞. Seri Lactis ℔j
Pulp. Tamarindor. ℥ij
Nitri puri ʒj
M.

De hoc potu bibat æger pro lubitu; vel Serum Lactis, magna copia haustus satisfacit, nam est blandum admodum diluens, putredini resistens & admodum nutriens, ejus tamen loco, quoniam non ubique præsens ilico est, optime conducunt decocta blanda diluentia, ut ex. g. sequens.

℞. Avenæ decortic. ℥j
Coq. in f. q. Aquæ communis
Colaturæ ℔j
adde Syr. Diamor. ℥ij
Sal. Nitri ʒj
Pulp. Cassiæ Fistulæ ℥ij
M.

Bibat de hoc decocto æger, quantum ipsi lubet. Clysmata possunt esse ex aqua Hordei, Milii, tantum ut abstergeantur intestina, dum peti possunt ex lenibus purgantibus antiphlogisticis, & eadem per os dari, ut decocta Prunorum, baccarum Sambuci & Ebuli.

3. Deglutitio hic est possibilis, quia ad laryngem non ad pharyngem hæret malum, hinc dentur potus tenuissimi nempe aqua vel serum lactis coctum cum pauxillo farinæ aveuaceæ, Nitri, Sacchari vel Mellis; in primo initio de victu adeo solliciti non esse debemus.

4. Nitrum palmam hic præ omnibus reliquis habet, ut morbus fere solo Nitro curetur, si addatur acidum tanto melius v. g. posca ace-

tum

tum Sambuci &c. in hoc morbo subacida sunt optima, v. g. si æger imponat linguæ pulpam Tamarindorum cum Nitro, ut illud liquescens delabetur ad fauces, succus Sempervivi recens pressus cum succo Citri permistus & linguæ impositus est summum remedium &c. in tali casu do semper meis ægris placentulas ex Nitro, ut eas teneant in ore.

5. Omnium maxime vapore aceti, dicetis quidem acetum tussim facere, sed hæc humiditas, si fauces alluantur, optime resolvit; quidam sacerdos hic multos anginosos hac ratione curabat, quod medicamentum mihi ipsi postea revelavit, habebat nempe multas herbas in aceto cum aqua permisto, hujus aceti vaporem calidum in fauces dimittebat, hoc remedium herbis arcanis adscribebatur sed illæ talem virtutem non habent, sed acetum cum aqua faciebat talem resolutionem, hac ratione cura est instituenda, ægro os est tenendum supra vaporem aceti, illeque hauriendus & per nares efflandus, tum aër ad glottidem provenit; certum est, quod in omni inflammatione vapor aceti sit optimus. Potus optimus est sequens.

℞. Rad. Apii
—— Lapathi Acuti
—— Acetosæ
—— Graminis ana ℥jß
Fol. Acetosæ
—— Agrimoniæ
Becabungæ ana M. ij.

Sem. quatuor frigid. major. ana ℥j
Coq. in aq. com. colat. pint. iij.

adde

adde Nitri ʒij
Rob Sambuci ℥iij
M.

De quo æger singulis horis capiat uncias tres vel quatuor, vel

℞. Decoct. Hordei ℔ij
Syrup. Violar. ℥ij
Sal. Nitri depurat. ʒj
M. Bibat pro lubitu.

Nihil tamen ad obstructa vasa faucium emollienda & dilatanda antecellit sequens nobile remedium ex aqua pura & aceto mixtis. Talis mixturæ calidæ factæ vapores attrahuntur (ope infundibuli vel mantilis &c.) ad fauces, quæ hinc maxime alluuntur, & ab exsiccatioue liberantur, tale remedium est optimum v. g.

℞. Aq. stillat. Sambuci ℥vj
Aceti Sambuci
——— Calendul. ana ℥jß
M.

Iterum externe applicentur fomenta & epispastica; hæc *Hippocrates* maxime commendavit, ideoque aures, cervix, collum & pectus madida teneantur fomentis, ex farina cocta & herbis emollientissimis, ut decocta florum Verbasci, Hyperici & similium, vel fermenta panis, & ego illa calida applico, 1. ad pedes, 2. ad poplites, 3. ad inguina, 4. sub axillas, 5. ad parotides, cum superimpositis tegulis ad impediendam exhalationem. *Tachenius* sæpe Nitri usum inculcat, nam sane mire hoc facit,

id vero vulgo risui committitur, quia nimis parca copia datur, sed dandum est Nitrum ad uncias duas vel tres, optime sane hic acida conveniunt ut Spiritus Salis, Vitrioli, & imprimis Spiritus Sulphuris per campanam, quæ tantum aqua diluitur, ut illa sit grata. Per fomenta anodyna & Emollientia v. g. ex sero lactis cum pannis calidis ad pectus applicatis possum utcunque nutrimentum suppeditare ægro.

§ 804. Si occurrat angina inflammatoria pendens ex eo, quod musculi elevantes os hyoïdes inflammati sunt, tum sequentia sunt agenda. Primo instituenda sunt ea, quæ in paragrapho 809. dicta sunt, secundo curandum est, ut omnes oris partes multum perspirent, & vasa laxentur, ex. gr si vocemur ad ægrum, qui dum quiescit, non sentiat magnum malum vel dolorem, sed si deglutiet, sentit summum dolorem; spongiæ aqua calida plenæ, parti affectæ externe applicatæ, multum quoque præstant: restat, ut inquiramus, quæ cura ad resolutionem obtinendam adhibenda sit in angina inflammatoria, ubi deglutitio est læsa; instituatur primo venæ sectio, balneum aquæ calidæ, & loco purgantis injiciantur clysmata ex decocto Hordei cum pulpa Cassiæ, Manna, Melle similibusque, curari oportet, ne partes oris exsiccentur, sed ut laxæ maneant & perspirent, ad hoc præstandum sequens præscribitur gargarisma.

℞. Fol. Scabios.
—— Violar.
—— Taraxaci ana Mjß
Flor. Sambuci
—— Rosarum pallidar. ana Mj

Coq

Coq. in ſufficienti aquæ quantitate
ad Colaturam unc. xx.
adde Mellis Roſacei
Syr. Diamor. ana ℥j
Sal. Polychreſt. ʒj
M. F. Gargariſma.

Contineat æger hujus gargariſmatis aliquam copiam in ore, dimittat ſenſim ad fauces, non gargariſando tamen; gargariſatio enim nimium faucium motum creat, exſpuat dein & repetat ſubinde ſæpiſſime: ſic optime proſpicitur (quod hic neceſſarium erat) ne partes oris exſiccentur; ſic locis laxatis inflammatoriam muſculorum materiam in ſe trahunt nitroſa, ſaponacea, ſubacida, cataplaſmata etiam conducunt ſimilia.

℞. Flor. Malvæ.
—— Althææ ana ℥iv
—— Pap. Hortenſ. ℥iij
Herb. Biſmalvæ
—— Verbaſci ana M. iij
Coq. in aq. pura ſub finem
adde nidum Hirundin. №. ij
Sem. Lini. q. ſ.
M. F. Cataplaſmata.

Hoc cataplaſmate calido adhuc totum collum & cervix obrui debet, ſemperque quantum poteſt, tepidum retineri, calor enim emollit maxime & certe ob aliam rationem hoc cataplaſma calidum retineri debet, dicit enim *Hippocrates*, ubi calor, maxime determinabunt diluentia ante præſcripta; tale etiam cataplaſma eſt optimum v. g. ex ſeminibus

bus Lini cum ſola aqua adde ſub finem parum aceti, parum ſalis, Mellis roſati, violacei vel Mercurialis; fomenta quoque externe proſunt ex floribus Malvæ, Verbaſci & Violarum &c. in Lacte cum Nitro cocti.

§ 805. Aër tranſiens exſiccat partes, nunc ſi homo gravedine laboret, aër per nares non hauritur, ſi tunc per os hauriat, brevi omnia in ore exſiccata ſunt, ſic etiam hic in angina contingit, ſed omnis locus inflammatus, qui exſiccatur, fit ſtrictus & citiſſime in gangrænam abit, ergo exſiccatio eſt impedienda, ſumatur omni momento aqua cum aceto & melle, & gargariſando retineatur locus madidus, & quando dolor eſt tantus, ut exſpuere non poſſit, tum ſumatur fiſtula ſeu ſyrinx & acetum cum multa aqua, Nitro & Melle roſaceo vel ſimili immittatur in fauces; ut hac ratione colluantur; erat hic æger, cui fauces ſic erant tumefactæ, ut vix fiſſura calami tranſire poſſet, ſed Chirurgus induſtrior tota nocte aſſidebat habens miſcelam ex Oxycrato, Melle Mercuriali & Nitro, immittebat omni quadranti horæ in fauces, unde æger fuit ſervatus, credo certiſſime, quod longe ante noctem mortuus fuiſſet, niſi hæc eſſent adhibita, tamen ægri hæc non libenter admittunt, ſed periculum vitæ iis eſt proponendum, quando phlegmone eſt in tertio gradu, per venæ ſectionem reſolvi non poteſt, ſed tum ſumendum eſt Lac & Nitrum cum herbis emollientiſſimis, & per tubum perpetuo & identidem eſt injiciendum ad faucium locum inflammatum, ita ut tandem per ſuppurationem rumpantur. Si nihil bibere aut edere queat æger, auxilium petendum eſt e nutrientibus dictis clyſmatibus (prius expurgatis

gatis fæcibus) nempe ex jure carnium, decocto panis, talibusque, adde parum Cinnamomi; clysma ex illis debet ter quaterve de die ad uncias quatuor injici.

§ 806. Si oriatur violenta inflammatio, qua organa respirationis superius comprimuntur, unde suffocationis metus, & remedia descripta si nil juvant, de alio remedii genere cogitandum est, nec relinquendus æger, vel si post aliquot dies accedat Medicus, & tumor jam minor sit, quid tunc agendum? Sciatur, quod si tumor sit tantus, ut glottidem contra Epiglottidem comprimat, citissime suffocabitur, quid ergo superest? vel enim morietur, vel respirare debebit æger & nutrimentum capere; hæc si apparent, manifesta instituenda est Bronchotomia, sive apertura tracheæ, quæ citissime sine periculo institui potest, si hæc signa adsint, 1. frustra acta sunt priora, 2. si materia sit nimis crassa vel infarcta, 3. si respiratio fere plane impediatur, ut pulsus minuatur; 4. si inflammatio supra tracheam vel annulos sita sit, jam prædicenda est acerba Prognosis, demonstrandum est ægro, & adstantibus mori certo debere, nisi anceps hoc & ultimum remedium permittant, idque cito, nam si diu duraverit, pulmo erit plenus; & licet tunc respiratio reddatur, pulmone sanguine jam obstructo Peripneumonia oritur, hinc incertum est, an juvet hæc operatio; hinc Medicus nunquam solus faciat, sed alium candidum Medicum advocet, ad consulendum; antequam hæc operatio instituatur, 1. debetis esse certi summum periculum adesse, ut mors instet, 2. vita tam magna esse debet, ut gangrænæ periculum adsit, 3. quod morbi causa non adsit in pulmone nec

in locis profundis, hæc operatio nequaquam est lethalis, sed mors aliquando subsequitur, quia morbus est lethalis ob congregatum sanguinem in pulmone; aliter anceps remedium est instituendum, quam nullum in certa morte, duro enim nodo durus adhibendus est cuneus. *Bronchotomia* vocatur *asperæ arteriæ in membranosa ejus parte intra duos annulos cartilagineos sectio.* Illud duplici modo perficitur, vel prius longitudinaliter integumenta resecantur, hæcque fuit methodus *Casserii*, vel recte scalpellum transmittitur intra annulos cartilagineos, hæc fuit methodus *Dionis* & *Aquapendentis*, in aperturam tali modo in aspera arteria factam truditur cannula plumbi, per quam aër intrare & exire libere potest, & sic liberior fit respiratio. Hæc cannula ibi manet, donec suppuratio fiat; vide de hac re *Hildanum* & *Severinum* in libro de *Efficaci Medicina* & in libro *aureo de Chirurgia Trimembri* & in omnibus ejus operibus; frustra hic mors metuitur, nam sectio non est molesta; & magna arteria non adest, postquam resoluta est suppuratio, cannula educitur, tum vulnus apertum teneatur, aliter enim species bronchoceles oritur, sed plumaceola sicca imponatur, ut si concretio fiat, nullus sit metus.

§ 807. *Clysmata nutrientia* ab *Helmontio* explosa sunt, qui dicit nil admittendum esse speciei nutrimenti, nisi quod per vires ventriculi, intestinorum, bilis & succi pancreatici mutatum sit, sed certissimum est per experimenta, quod clysmata ex solo jure carnium cum sale in corpus injecta ad uncias duodecim, si viginti quatuor horis retineantur, quod unciæ tres tantum redierint, jus carnium in sanguinem ire & per nares re-

dire

dire certe poterit, ut vidit *Lowerus*, ergo non ridendo clysmata nutrientia, nam cur explodemus id quod nocere non potest, si non juvat. Hac ratione curatur angina inflammatoria, si in initio, & tempore hoc fieret, nemo moreretur, sed plerumque nimis diu exspectatur, partibus jam v. g. gangrænosis vel suppuratis.



Angina suppuratoria.

§ 808. Suppuratio vocatur canalium obstructorum & materiæ obstruentis vi vitæ reductio & commolitio in album, blandum, spissum, æquale liquidum; causam suppurationis proximam inflammationem ponimus, ubi ergo inflammatio non resolvitur, ibi suppuratio accedere potest, hinc & angina inflammatoria in suppuratoriam transire potest. Signa anginæ inflammatoriæ in suppurationem vergentis sunt symptomata non graviora, sed pertinacia, & quoque si inflammatio jam per aliquot dies duraverit, resolutione non facta, sique simul in faucibus videatur tumor subalbus, mollis, leviter calens & dolens certi sumus adesse anginam suppuratoriam. In illo statu indicatur, ut emolliamus membranas pus continentes & alcalescentiæ & acredini resistamus, quod præcipue cataplasmatibus & fomentis ex floribus, foliis & farinis conciliatur. Si suppuratio facta sit, quod scitur, si inspiciatur os & appareat tumor albus, habens superficiem albissimam, mollem, in acutiem desinentem; hæc si appareant, & abscessus sponte non rumpatur, per-

 tendi

tundi debet lanceola Chrirurgica; sedente ægro capite prono, ne pus exiens ad pulmones ruat; pure sic omni per se aut levi compressione expulso, mundatur ulcus Melle Rosaceo, decocto hordei similibusque, mundatum ulcus aqua Plantaginis, Rosarum Rubrarum talibusque leviter adstringentibus consolidatur. Antequam fiet pertusio, oportet ut adsit maturatio, nam aliter vulnus augeret inflammationem; in pertusione hæc sunt observanda applicanda est cannula, intra quam hæreat scalpellum, quod tamen ita hærere debet, ut nimis profunde adigi non possit. Si hæc angina hæreat supra partes laryngis & suffocaturus sit æger, à tumore augescente non exspectare licet, sed Bronchotomen adhibere oportet.

§ 809. *Karo.* Id est, illa, quæ hæret circa laryngem.



Angina Gangrænosa.

§. 810. Omnis causa inflammatoria si valde augeatur, abit in gangrænam.

1. *Ex signis.* Præsertim si oriatur in corpore juvenili plethorico, & si alia quoque adsint signa.

2. *Tumor. Hippocrates* dixit, si Erysipelas extrorsum vergat bonum, si introrsum malum.

Si gangræna oriatur in larynge, glottide, & epiglottide, est plerumque lethalis, quia sunt loca nobiliora, sed in tonsillis, uvula & velo palatino non adeo, quia hæ partes non adeo sunt

sunt nobiles. Gangræna adesse noscitur, si æger difficili respiratione aut deglutitione laborans simul dolorem habet in primis diebus acerrimum cum febre violenta, totius corporis æstu, siccitate, nec ulli remedio auscultat; si tumor, dolor &c. sine resolutionis vel suppurationis signis disparuerint. Hic nullam medelam scio ob loca nobilia, & præterea causam inflammatoriam tam diuturnam, qua fiet gangræna, quin simul sanguis in pulmone hæreat accumulatus & concretus, unde oritur pulmonum gangræna.

§ 811. *Circa tonsillas.* Quia omnia hæc loca constant folliculis & cryptis glandulosis, atque hæ glandulæ sunt etiam subditæ scirrho, qui fit per inflammationem aut per contusionem, loca inflammata nimium frigidis tractata fiunt scirrhosa, vel medicamentis vel aëre vel potulentis, quando ulcus est alicubi apertum, si aër accedat, humidum ex ulcere avertit & oritur scirrhus, si Medicus non caveat, ne aër frigidus huc appellat, quando angina in ulcus apertum reducitur, ergo illæ anginæ scirrhosæ sunt curandæ, antequam exulcerentur, hinc post curationem anginæ inflammatæ æger per aliquot dies non exeat in aërem apertum, adhibeat emollientissima fomenta in ore, etiamsi inflammatio absit, tamen omnia tepida sumantur.

Angina Convulsiva.

§ 812. Hunc morbum vidi summa cum admiratione & terrore, hinc (quia rarior contingit) ad vivum eum depingere conatus sum In paralytica angina impeditur respiratio vel deglutitio, quia musculi contractores pulmonis non possunt sursum trahere pulmonem, multi deglutire non possunt, quia collapsa est pharynx & æsophagus, hinc à vi vitali vitiata complicatur, unde assumpta hærent, aut per nares exeunt, aut cadunt in laryngem epiglottide elevata, hac ratione respiratio impeditur.

Talis &c. ut dixit *Hippocrates*. caput corpori hæret per os occipitis, quod juxta medullam spinalem habet duo rotunda tubercula, quæ vertebræ primæ sinus ingrediuntur, supra hoc totum caput vertitur, validum ligamentum dentem cum atlante continet, hinc agitur, & hæc secunda vertebra cum capite, & caput non supra primam, sed caput cum prima supra secunda vertitur, jam si ligamentum dictum sit ruptum vel laxatum, ut à nimis prono procubitu capitis sæpe fit, dens ex prima vertebra exit retrorsum, comprimit medullam spinalem. Hoc si unquam certe admodum raro contingit; qui legerunt *nobilem Eustachii Tractatum de Motu Capitis*, illi norunt, quod ligamenta, per quæ prima & secunda vertebra capitis nectuntur, sint adeo fortia, ut potius totum corpus dilaceraretur, quam hæc rumperentur; hinc luxatio dentis fit rarissime, luxatio

xatio vertebrarum cervicis dicitur contingere, quando homo equo validissime motus totum corpus valide movet & fortissime impingit, tum oritur tam subita totius corporis circum, ductio, ut vertebrarum fiat excussio, ille morbus dicitur venatoribus contingere & curari, si uno momento caput arreptum in longitudinem maxime trahatur, si modo, medulla non sit nimis compressa. Ægri hoc morbo laborantes dicuntur eo tempore esse anginosi. Hic mihi angina muliebris est exponenda, vulgo dicta angina à vapore, quia Medici putarunt vapores esse hystericos vel uterinos; nostis, quod simulac dragma una vini vel cerevisiæ per organa tua appulsa sit aperto pharynge, quod tum musculus æsophagi stringat pharyngem apertam contra partem posticam laryngis, & quod hinc nulla gutta potus eat sursum, ergo hæc pars arcte clausa esse debet. Nunc omnes musculi voluntarie agentes convulsivi esse possunt, & dum musculus æsophageus constringens pharyngem convellitur, tum homo nil deglutire potest, venti sursum euntes extendunt æsophagum, hoc producit talem sensum ad fauces, quem vocant mulieres adscensum matricis, guttur instar pugni tumet, si hæc convulsio ad illam partem accedat, producit hæc symptomata, sed talis convulsio potest quoque esse ad glottidis musculos; vidi centum mulieres hystericas vel vires hypochondriacos, simulac aliquod accedit, quod obest, animam non ducunt, & paulo post suffocantur, hic morbus vocatur Passio Hysterica, unde nunquam moriuntur mulieres, causa, quæ convulsionem faciebat, transit, tamdiu mulier in animi deliquio tenetur, sed simulac sanguis

moveatur, redit morbus; in multis doctis viris & hypochondriacis perfecte idem obtinet; curatur hic morbus omnibus, quæ in genere motum spiritum mutant, immitatur aqua frigida in pharyngem aut Spiritu Salis Ammoniaci, qui naribus supponatur, idem ab omni fætido & odorato contingit.

§. 813. *Hippocraticarum* Distinctio in tot diuersas species anginæ omnino requirebatur, hinc generalem anginæ definitionem maxime dedi, quæ vera est, aliter omnia phænomena ad unum nomen contrahi non possunt quod jam fieri potest.

Signo conspicuo. Nec tumoris, nec doloris, nec caloris, nec inflammationis, qua æger erectus sedere cogitur.

Dolore capitis. Quia sanguis per jugulares redire nequit, notat etiam, tunc sanguinem per cerebrum trajici non non posse.

Lethalis. Scilicet plerumque primo die moniti estote, æger v. g. ante $\frac{1}{4}$ horæ satis bene se habebat, nunc sedet cum febre Acuta, cum magno capitis & intenso crurum dolore, tum intra $\frac{1}{4}$ horæ morietur, antea liber respirabat, sed cogitate inflammationem oriri in arteriis intercostalibus, tum ægri respirare non possunt, hoc sæpe intra $\frac{1}{4}$ horæ contingit, si nunc talis inflammatio ad musculos constrictorios glottidis contingeret, an non ilico esset contracta, hæc est ratio, cur illi ægri collum extendendo rimam dilatare conantur: nam rima glottidis nunquam plus est aperta, quam ut calamus scriptorius intrare possit. *Hippocrates* anginam distinxit in triplicem, Idiopathicam, Sympathicam, & ἐπιγινομένην, Idiopathica est simplex an-

angina, Sympatica, quæ ab eodem malo, prægresso est orta, hinc est pessima, quia designat, materiam inflammatoriam translatam esse ad fauces.

Exprimens. Vide *Harvæum*, *Lowerum*, *Nuckium* & aliorum experimenta docentia, quod ligatis venis jugularibus materia serosa tenuis per os exiret, non aliter quam si salivarent.

Spumam. Hæc oritur ab affrictione partium pulmonis inter se ab aggesto sanguine, nam tunc sanguine non volente redire in cor, vesiculæ pulmonales inter se confricantur, unde hæc spuma in similibus casibus notat obrui pulmonem. Peripneumonia oritur ab angina, quia sufficiens aëris quantitas in bronchia ingredi non potest, unde sanguis intra arterias pulmonales accumulari incipit, quia pulmo propter aëris defectum apte distendi non potest. Statim atque anginosus incipit fieri stertorosus & Apoplecticus brevissime moritur. Si inscio ægro exoneretur alvus, is fere semper moritur, signum enim est, caput interne à sanguine suffocatum iri; pulsus fit lenis, & rubor &c. abeant, & tamen dolor maneat, idem est, quod breviter suo more dicit *Hippocrates*, angina retrocedens sine bona causa est lethalis. Si ad radicem linguæ summus dolor hæreat, est pessimum signum.



Peripneumonia Vera.

§. 814. Πνέω *spiro*, πνευμά juxta veteres non designat *materiam spiritualem*, *sed aërem inflatum* & *efflatum è pulmonibus*, hinc πνεύμων *pulmo*, & περιπνευμονία *inflammatio pulmonum*,

vel quasi circa pulmonem affectionem dixeris, aut, si præpositionem περι, particulam saltem augmentationis (uti Græcis familiare est) & nomen πνευμονὶς ad affectionem pulmonum denotandam sufficere velis, tunc eodem hoc vocabulo composito ejus atrocitatem, frequentiam & vitæ, quod innuit periculum, expresseris. Quidquid sit tam prisci quam recentiores Medici per eam ut plurimum denotant φλεγμονὴν *seu inflammationem in pulmonibus susceptam cum febre Acuta & spirandi difficultate.* Quibus addunt nonnulli *doloris carentiam*: quando (uti dicunt) solus pulmo affectus fuerit, & recte, nam hic eatenus dici potest pulmo, quatenus sanguinem, tanquam follis trajicit ex corde in cor; viæ autem, per quas talis trajectio fit, sunt satis molles & flaccidæ, & proinde tensioni in fibris non adeo obnoxiæ. Nonnulli *thoracis gravitatem*, *sputum subcruentum*, *genarum ruborem* &c. pro signis Pathognomicis hujus affecti habent. Peripneumonia ergo est vera inflammatio in vasis sanguineis pulmonum, sed vasa sanguinea pulmonum sunt duplicia, scilicet arteriæ pulmonalis & bronchialis, utraque habent vasa omnium serierum arteriosarum, nam bronchiales arteriæ habent sanguinem serosum lymphaticum & sic ad ultima usque, hinc videtur tota pulmonalis arteria habere omne genus arteriarum per successivas series, ergo omne inflammationum genus in pulmonibus erit possibile, vulgares Medici putant, quod sanguis stagnet, cur non serum, cur non lympha, stagnare potest, Peripneumonia Vera aliter dicitur πνευμονιτις.

§. 815. Vasa pulmonis sunt duplicia vel pulmonalia vel bronchialia, notum enim est, pulmo-

monem ut omnia alia viscera accipere sanguinem, qui mutatur, aliumque sanguinem, qui nutrit juxta bronchia, unde bronchialis dicitur, vaditque ad externam superficiem vasorum pulmonis, unde totus nutritur, & secundo pulmo interne accipit omnem cordis sanguinem in arteria pulmonali; ergo inflammatio oriri potuit vel in vasis bronchialibus vel pulmonalibus, aut tandem in vasis lateralibus lymphaticis utriusque; hinc itaque triplex Peripneumonia vel sola in arteria bronchiali ejusque ramis, vel in vasis ipsis Peripneumonicis vel in utriusque simul, raro enim accidit in uno vasorum genere, quin accidat in alterum.

§. 816. Peripneumonia ad vasa pulmonalia, quæ omnem sanguinem à corde pulsum suscipiunt, erit periculossima, nam hinc sanguis transfluere impeditur, & cor sinistrum nil accipiet, hinc actum est de tota circulatione, ergo de vita; sed minus periculosa est in vasis bronchialibus arteriosis, quia non omnem sanguinis transfluxum impedit, ille enim sanguis tantum pro nutritione, humectatione pulmonum & omnium vasorum minimorum inservit, quibus pulmo eget ad nutritionem; sed hoc verum est, quod si bronchialia inflammantur, pulmonalium fines etiam facile inflammantur, nam bronchialia extensa comprimunt etiam pulmonica, inde brevi à bronchialium fit pulmonalium inflammatio, bronchialis inflammatio non per se lethalis fit, sed postquam adolevit minimis vicinis vasis compressis.

§. 817. Ipsa inflammatio constituit causam proximam hujus, id est sanguinis rubri arteriosi in vasculis minimis, stagnantis attritus à vi sanguinis retro prementis in partes ob-

ſtructas; dein quidquid in genere hunc ſtatum producere poterit, hunc igitur producet, quidquid ſanguini circulanti intra pulmones obicem ponit, & quietem inducit, quietem autem conciliat, quidquid vel incraſſando ſanguinis motum tardiorem reddit, vel quidquid canales conſtringendo, vel (ne quantum opus dilatentur) prohibendo, ſanguinis motum impedit; ergo hæcce cauſa vel poteſt in vaſis, vel in ſanguine hærere: in vaſis ſcilicet quando hæc ſanguinem tranſmittere nequeunt; huc ſpectant contuſio, compreſſio, elongatio, exſiccatio, & ut brevis ſim, quidquid illa ita anguſtare valet, ut ſanguinis globuli rubri diametro eorum majores exiſtant, unde cogetur ſubſiſtere. In ſanguine vero, quatenus lentus, ſpiſſus, acer inflammatoria & cacochymica quadam diatheſi inſtructus vaſa tranſmeare ineptus ſit, vel quatenus copia nimia vaſa plus accipiunt quam ut naturaliter tranſmittere poſſunt, quod quomodo fiat in cauſis procatarcticis ſive remotis jam videbimus.

2. Aër per os in pectus ductus mox ad pulmones labitur, hoc eſt ad contactum canalium, ergo pro variis ejus qualitatibus hi diverſimode afficere & Peripneumoniæ cauſæ exiſtere poterunt. Itaque aër ſolito frigidior, nebuloſus aut humidus ſimul, præterea, quod vaſa conſtringendo coarctet, humores incraſſet, & condenſet, etiam poros claudit & tranſpirationem naturalem inhibet, unde particulæ lentæ & ſeroſæ ſanguini manent permixtæ, adeoque ſanguinis craſis debilitatur, condenſatur, & lentius movetur, ſicque circa fines vaſorum pulmonalium facile ſtagnare, tumorem & tandem inflammationem, id eſt, Peripneumo-

neumoniam causare valebit, eandem ob causam constitutiones anni, venti, loca, ut & applicata frigida mali hujus causa existunt, quod *Hippocrates* testatur, Hyeme vero (inquit) Pleuritides, Peripneumoniæ & cetera, ut & frigida velut nix, glacies pectori inimica &c. si aër nimis validus vel & siccus existat, per consequens tenuior ac mobilior sanguinem agitando attenuabit, ejusque motum augendo vasa nimium distendit, sicque vias intercludendo obstructionem causabit; quin & alia ratione sanguinem nimis attenuando, ejusque motum accelerando in causa erit, quod per corpus undique instar cribri valde patulum liquidissima & spirituosissima discutiantur, oleosa acria reddantur & crassissima (ob dissipatas ad circulationem maxime necessarias particulas fluidissimas) minus apta & terrestria remaneant, quæ per minutissima pulmonum vascula transire haud potentia, stagnant, unde infarctus tumor; seu fiet vera inflammatio. Quin & aër nimis gravis Peripneumoniæ Auctor existit, occlusis scilicet per nimiam pressionem canalibus: aër si levitate nimiam gaudeat, respirationem etiam plus minus impedit vel plane intercipit; unde Peripneumonia vel quandoque subita mors oriri poterit, quod in vacuo *Boyleano* videre est. Si hæc Peripneumonia à tali causa ex natura resolvatur, tum sanantur ægri, nisi autem resolvatur, necesse pereunt, ut videri potest in agricolis, qui in agris laborantes sub injuria cæli Peripneumonia afficiuntur plerumque lethali. Aër nimis calidus augenda motum latentes quandoque humores crassos & inspissatos in actum deducit, unde non raro post Hyemem validam prægressam, quando nempe per frigus ni-

nimium humores crassi & inertes redditi sunt, (subsequente tunc Vere & Æstate calidis humores illos in motum rapientibus) Peripneumonia oboritur plurimos interimens; tandem aërem effluviis suis malignis scatentem, puta causticis, adstringentibus, aut coagulantibus & venenatis pulmonibus applicatum Peripneumoniam & citam sæpe mortem producere posse, quis dubitat v. g fumus Sulphuris, fumus ex Mercurio Sublimato &c. plura tristi satis exemplo nonnunquam comprobarunt, nam omne animal, quod exponitur fumo Sulphuris (nullo excepto) ilico moritur, pulmone spasmodice contracto, non est ulla pars in toto corpore post oculum sensibilior, quam pulmo, talia sunt venena, quæ uno halitu sic constringunt pulmones, ut necent Acria ut Spiritus Vini aut aromata simul sumpta cum glutinosis adhuc pejora illa reddunt, nam acriora partes viscosas adhuc magis infarciunt & in minora vasa protrudunt.

Cibus quantitate peccat, vel quatenus (qualitate licet bonus) nimia copia assumptus, & ingluvie ut sic dicam nimia devoratus ventriculum ultra modum distendit, & diaphragma sursum premit, sicque debitam pulmonum expansionem inhibet, vasa comprimit, liquidorum motum impedit, concoctionem & chylificationem turbat; & cruditates producit, vel quatenus major chyli copia, quam ut subigere valent, ad pulmones defertur, unde æqualem massæ sanguineæ permixtionem prohibet, unde sanguis ad incrassationem, & inde ad stagnationem & obstructionem aptus evadit; & quomodo inde Peripneumonia patet ex præcedentibus; hinc ratio in promptu est, cur

cur utplurimum homines paucis à pastu largiori horis Peripneumonia vel quadam ejus specie laborent. Quod eo facilius fiet, si quoddam in qualite vitium accedat, id est, si talis cibus viscidus nimis vel crassus, glutinosus vel tenax, crudus vel coctu difficilis exstiterit, unde etiam talis producitur chylus, ut v. g. si quis nimium farinaceis lentorem inducentibus usus fuerit &c. ut in equis Tritico vel Hordeo vel Avena admodum diu pastis multum quiescentibus & parum bibentibus clare ad oculum patet, qui scilet inde Peripneumonia corripiuntur, hic morbus in equis vocatur Belgice de *Droest*. Nunc idem homini accidere potest de pisis flatulentis, fabis &c. imo qui tempore Pestis præ summa paupertate nil assumpserent præter Triticum non molitum in Peripneumoniam incidunt, & omnes Phthisi moriuntur, nam chyli pars frangi non potest, quod malum vocatur Pestis sed est morbus ex malo victu, nisi labor fortissimus accedat, quiillum superat, & in naturam nostram assimilat, *Hippocrates* hic etiam piscium capitonum & anguillularum ingluviem maxime incusat. Aviculæ cantantes talibus farinosis vescentes pulmone inflammato fere semper moriuntur. Præterea cibus acrimonia oleosa vel aromatica peccare potest, quatenus assumptus stimulando vasa sanguinis propulsum celeriorem reddit, sicque calorem nimium ab attritu liquidorum in vasa & vasorum in liquida producit, qualia sunt piperata & aromata acriora omnia, huc & medicamenta quæcumque acria, nimis oleosa & calefacientia nimia copia ingesta revocentur. Potus etiam blandus & diluens & qualitate bonus Peripneumoniæ vias sternere valebit, si nimia scilicet co-

pia assumatur. Quod quibusdam forsan primo intuitu paradoxon videbitur, qui mihi id circo objicere poterunt, quod talis potus humores diluat, vasa laxet, obstructiones reseret, & sic potius Peripneumiam curet, quod & hoc sensu negare bona fide haud possum; iis tamen respondebo potum talem, eo ipso, quod diluat & vasa laxet, etiam diuresin & diaphoresin maxime augere, sicque per has vias subtilissima & liquidissima è corpore expellere & crassiora relinquere, ex quo fonte tandem, quemadmodum ex pauco vel nullo assumpto potu, inflammatio; sicque Peripneumonia nonnunquam oriri poterit; potus denique qualitate nocere poterit, quando nempe multo sale acri & spiritu tenui & volatili præditus ingeritur, ut e. g. vinum generosum, aromatibus conditum, Spiritus Vini ex eo, quod motum humorum acceleret, vel eos incrassando ad lentorem & stagnationem deducat, quod contradictorium videtur, at sane res se sic habet, motum enim accelerabit, quatenus volatilitate & spirituositate spiritus suscitat, acrimonia sua vasa stimulat, sicque calorem auget; lentorem autem inducet, si tanta copia sumatur, ut quasi vi stiptica tolleat & sanguinem coagulet, vel quatenus fugatis tenuibus crassiora relinquat, quod in Apoplecticis à tali potu supra modum assumpto liquidissime cernere est: huc & quæcunque demum medicamenta vel incrassantia refero, ut & quamcumque frigidam præcipue corpori calido vel æstuanti applicatam & subito haustam, quia vasa quam citissime constringendo, sanguinem incrassando, subitam humoribus quietem infert, huc revocetur usus aquarum stagnantium. Quæ

motum corporis totius augendo vel imminuendo humores vel glutinositate seu crassitie, vel tenuitate seu acredine crudos in toto corpore generant & ad pulmones, iis subigendis vel mutandis non valentes, deferunt, eosque & ipsum cor obruunt, aut nimis cito per ea trajiciunt, & hæc sunt exercitia vehementia, cursus, calypodiorum usus (Belgice *schaatsen*) idque imprimis vento adverso & post largum pastum vel diuturnam quietem: lucta uti & nixus sæpe Peripneumoniam inducunt, nam v. g. homo, qui pondus de terra elevare vult, primo applicat manus, secundo omni nixu elevat, capit multum aëris, hunc ita retinet, ut pulmones non expandantur nec contrahantur, tum omnis sanguis à corde dextro hic stat, & qui à corde sinistro suppeditatur est quietus, si nunc ille nixus aliquamdiu duret, tum sanguis ruber primi generis it in vasa secundi generis & inflammationem facit, unde sæpe homines in summam Pleuritidem & Peripneumoniam incidunt, qui spiritum semel haustum nimis diu retinent; unde hic quantillus etiam fuerit, rarefactus extendit vesiculas ultra terminum suæ contractionis, atque hac ratione vasa nimis elongando angustant & comprimunt; uti sunt omnes contractionis spasmoticæ hypochondriacorum seu hystericarum, risus, clamor, nixus validus in elevandis & ferendis ponderibus gravioribus, ut & in deponenda alvo vel urina. *Hippocrates* dixit à nimio otio subitus labor, neque à nimio labore subitum otium absque gravi noxa fit. Quies nimia cum motui opposita sit, eam hic ut causam tradere nequam difficile erit, in omni enim corporis quiete, humores tarde moventur, ergo minus

atterruntur, ergo tenacius cohærebunt, & inspissabuntur, oleosa crassa terrestria augebuntur, hinc & ratio liquet; humores enim corporis nostri, dum quiescunt, virtutem concrescendi possident, quamdiu nempe mixti sunt inter se, sic videmus sanguinem sola quiete & stagnatione in thrombum polyposum concrescere, ergo quo major in corpore quies, & per consequens quo minor humorum metus, eo etiam plus concrescent. Equitatio maxima in castris in vento adverso Peripneumoniam producit, quia aër plus obnitens extendit pulmonem, unde circulatio impeditur. Excreta & retenta tragædias suas in corpore ludunt, si enim sudor, perspiratio, saliva vel urina & cætera liquidissima per suas vias nimia quantitate quacunque de causa eliminentur è corpore, reliqua inspissata fores Peripneumoniæ pandere poterunt, hinc est quod Diabetes interdum hanc ob causam malum hoc producere potis sit, hinc & ratio liquet, cur senes & jam fere vita exhaustos (dissipato vel consumpto omni blando & diluente vehiculo) morbis ardentibus & inflammatoriis detentos sæpe videamus. A retentis denique evacuationibus consuetis idem posse contingere attendenti facile patebit. Puta à menstruis suppressis, hæmorrhoïdibus, hæmorrhagiis, quibuscunque, saliva, urina, semine aliisque similibus solitis, quibus accedit impedita Sanctorina perspiratio, quomodo autem hæc impediatur & quid producat, vide *Sanctorium*, materies enim illa in corpore operabitur, perinde ac si illud corpus esset cacochymicum & plethoricum. Huc & plethoram refero, copia enim sanguinis major erit, quam quæ fluere possit per vasa pulmonum

etiam

etiam naturali amplitudine patentia, unde fub fiftet & inflammabitur pulmo, hinc ratio in promptu eft, quare Peripneumonie ut plurimum (cæteris paribus) à 20. ad 30 aut ulterius annum invadat, quia fcilicet homines tunc temporis, unus citius, alter tardius ftatum & ἀκμὴν fui incrementi adepti funt, unde vafa non amplius fufficienter cedere poterunt, liquida tamen increfcent & augebuntur, unde plethoricus nofcitur ftatus, id eft, vafa plus liquidi recipiunt, quam naturaliter tranfmittere poffunt; hinc rurfus patet, cur maxime Peripneumoniæ fubjecti funt, quibus vafa funt rigida & (ut cum Poëta)

Duro funt membra fracta labore.

hinc ruftici operarii, bajuli & fimiles facilius hoc mali genere laborant, pueri autem & qui funt laxioris temperiei minus, quia vafa flaccidiora cum liquido intus premente facile extenduntur & cedunt.

Venena. Obfervatum eft, quod liquor venenatus non noceat, donec venit ad pulmonem, fed poftquam in illum tranfit, tum fit Peripneumonia; nullum animal notum eft ab infectis ad elephantem ufque, quin uno momento moriatur fumo Sulphuris; fimulac enim hoc venenum membranam mufculofam pulmonis afperæ arteriæ & veficularum pulmonalium attingat, erodit, & irritat, unde in cartilaginibus oritur fpafmus, quæ tum fpafmodice contrahuntur, & pectus violenter dilatatur; qui modo hauriunt vaporem Mercurii Sublimati incidunt in peffima mala & mortem, hæc de Antimoniatis & Sulphuratis quoque vera funt; fi im-

immittatur Spiritus Vitrioli in venam pedis animalis vivi anteriorem vel jugularem, facit coagulum, & transit ad vasa pulmonalia sine incommodo, sed si istegrumus pulmonem non transire possit, facit Peripneumoniam, sed si intret, statim oritur mors, verum membrana pulmonis se contrahit & avertit se ab omni venenato sanguine, ut vasorum lacteorum sphincteruli se contrahunt, quando aliquid venenum ingerimus; immisi in venam canis dragmam unam aquæ fortis, tum animal paulo post anhelavit, spumam & lacrymas ex oculis emisit, post mortem in ejus cadavere aperto inventu est in corde sinistro concretus polypus à sanguine concreto, si alcohol vini immittatur, idem fit, sed si sanguis non sit infectus non nascitur malum nisi in pulmone.

Animi perturbationes subitaneæ & vehementes, quales sunt ira, terror, pavor subitaneus & inopinatus, amor, curæ protractæ, tristitia summa, mæror & cætera similia, in quantum sanguinis motum accelerare vel nimis retardare, sicque comprimendo vel angustando, ac viam præcludendo agunt: quod æque terror ac ira potest: nam sicuti ab ira sanguis & spiritus à centro ad circumferentiam magis propelluntur, sic à terrore à periphæria ad centrum solito magis recedunt, unde sanguis, cor & pulmones mole sua non parum premit, anxietatem intensam & spirandi difficultatem infert; nam qui animo subito perturbantur, rogati plerumque dicunt se nil in toto corpore sentire, nisi quasi eorum cor intra duo præla premeretur, ab his omnis fere motus in omnibus humoribus sisti videtur, itaque post magnas illas animi perturbationes plerumque Phthisi postea laborant ægri; de cæteris clarum est, quam

ut plura dicam, ipſa enim loquitur experientia, qua febres, Apoplexias, ſubitam quandoque mortem ab ipſis animi pathematibus violentis ortas videmus, quin imo ergo & Peripneumonia inde fieri poterit. Præter has cauſas poterit & altera quædam eſſe, quando nempe pulmo per ſympathiam afficitur, & talis erit cauſa, Aſthma, Angina, Pleuritis, Vomica & ſcirrhus pulmonum, in genere autem quidquid motum pectoris reddit difficilem; unum videamus, unde reliqua facile intelligentur, v. g. in Pleuritide Vera, ubi membrana pleura inflammata eſt, ſemper aderit dolor punctorius, qui ab aëre hauſto pulmones expandente & contra pleuram applicante augebitur, ergo ægri ut iſtud caveant, reſpirationem inhibebunt; & thoracem ſive pectus ambobus brachiis compriment, ut dolorem ab inſpirato minus ſentiant, ergo vaſa ſanguinis in pulmonibus non diſcludentur, adeoque fieri poterit à Pleuritide Peripneumonia, abſque eo, quod pulmo cum pleura coaleſcat, vel inflammatio pleuræ pulmonum premat, quamvis etiam tumor pleuræ adeo increſcere poſſit, ut corpus ipſum pulmonis valide comprimat, adeoque ſanguinem ad compreſſam partem cogat ſubſiſtere, unde tandem inflammatio. Si ergo hæ cauſæ vel quædam ex iis pulmonibus applicentur, ſanguis ruber in finibus arterioſis plus minus pro ut cauſa levior vel validior ſiſtetur, ſtagnabitque; pars autem ſtagnans ope ſanguinis à corde pulſi magis & magis impingitur & cum per canales obſtructos regreſſus debitus denegetur, non poteſt non eſſe, quin materia obſtruens augeatur, arteriæ plus infarciantur, ergo plus dilatentur, ſicque vicina comprimant, unde impedi

tus denuo transfluxus, ergo tumor fiet in illo loco, & quemadmodum corpora (frigidissima licet sint) ex sola frictione & attritione super se invicem calida reddantur, sic & in parte inflammata, liquida stagnantia à retro & lateraliter prementia se mutuo plus tangunt, atterunt & fricant, ergo fiet & calor major, sic & ab arteriæ tunicis expansis & rupturæ proximis, & febris per consequens in iis hærentibus nerveis etiam fortiter tensis orietur in parte dolor, ergo & fiunt vera inflammationis phænomena.

§. 818 *Effectus varios.* Si bronchialis arteria inflammata sit, habet omnia inflammationis effecta, nempe interceptionem sanguinis, suppurationem, gangrænam, partis sciirhescentiam.

Inflammationis. Sic videtur plerumque fieri ipsa inflammatio pulmonum, nam non differt mea opinione Pleuritis & Peripneumonia, nisi sede; arteria bronchialis derivatur ex aorta, sed quo loco aortæ? post primum par intercostalium emissarium, sæpe quoque ducit originem ex primo pari intercostalium, sæpe ex secundo, sæpe ex octavo intercostalium pari, ergo videtis, quod inflammatio in arteriis intercostalibus hæreat, dum causa in arteria bronchiali, non sunt rami iidem ejus trunci, ergo credibile est, quod causa Peripneumoniæ in arteria bronchiali potius hæreat, quam in pulmone, quoniam etiam pulmo tam laxus & mobilis est, & quoniam sanguis cordis dextri & venosus, frigidus, habens omnes humores ac liquores permistos, hinc videtur, quod sanguis, qui ad sinistrum cor venit, inflammatione magis peraptus sit, quam sanguis ex dextro corde egressus; hinc sedes in secundo arteriarum genere

id

id eſt, quod originem ducit ex corde ſiniſtro raro in primo. Cur hæc præcedentia pulmonum potius quam aliarum in corpore partium inflammationem inducant? reſpondeo, quod ab his reliquo corpore applicatis inflammatio quocunque demum loco (modo arteriis minimis conſtat) facili negotio creari valeat, eo facilius tamen in pulmonibus, quo hi primo pluribus & infinite minoribus canaliculis conſtant, quo ſecundo pulmones aëri magis expoſiti ſunt, & quod notandum hic maximopere, ejusque injuriis; eos enim aër continuo ambit, in aëre vivimus, movemur & reſpiramus, ac abſque aëre ne ſemi hora (mergos & natatores exceperim) vita noſtra integra conſiſtere poteſt, hinc *Hippocrates* morbos unquam vix aliunde quam ab aëre oriri poſſe teſtatur, cum is aut copioſior aut parcior aut etiam plenior aut & malignis inquinamentis infectus in corpus ſubierit. Nunquam fere oritur mors in Acutis, niſi per Peripneumoniam excepto tantum caſu, quo cerebellum tantum comprimitur, & inde cor redditur Paralyticum.

§ 819. *Extenditur vas.* Simulac enim vaſorum fines obſtruuntur, impetus urgentis ſanguinis vas reddere debet omni dimenſione majus, pars liquidiſſima exprimitur, nam ad omnem locum ſunt arteriæ innumerabiles, ipſa ſanguinis maſſa habet partes craſſiores & tumidiores, tum quando pars craſſior ſtagnat, pars tenuior exprimitur per canalem tenuiorem, hinc ille ſanguis craſſus manet in pulmonibus, & liquidior tranſit per pulmones; tum quando mittitur ſanguis in Peripneumonia, invenitur ille ſanguis tenuiſſimus, vide *Baglivium* etiamſi hoc referat ad neſcio quandam cauſam, ſed tunc concipiendum eſt, quod ſanguinis pars

craſſior remaneat in pulmone tranſire non potens & exeat liquidior, inde ſi cadaver inſpiciatur in Acutis hominis defuncti à Peripneumonia, invenietur pulmo aterrimo ſanguine repletus & ponderoſiſſimus, ut ipſe vidi & tale quid etiam obſervavit *Hippocrates*, nam dicit, quod omnis ſanguis in Peripneumonia peſſima traheretur in pulmones, licet non intellexerit ita ac nos, effectum tamen clariſſime vidit, ut pulmo fiet ſaccus ſanguine plenus, hinc pulmo fit gravis, quia plerumque tantum aëre eſt plenus; quod plerumque paulo ante mortem fit.

Impos. Quando pulmo habet ſua vaſa arterioſa tenuia, tum bronchia aperta & veſiculæ capaces ſunt raræ, ſed ſi nunc vaſa, quæ interſtitia veſicularum occupant vel harum ſuperficies diſtenduntur, tum minus aëris intrare poterit, hinc pulmo ſe explicare non poteſt, quia ſanguinem non tranſmittit.

Orbatur. Nam ille tranſit in arterias, quoniam cor ſanguinem accipere non poteſt, niſi qui tam tenuis eſt, ut per pulmones tranſmeare poſſit, ſed qui per has tranſire poteſt, per omnes corporis arterias tranſire poteſt, ſi hæc fieri non poſſunt, tum cor ſiniſtrum orbatur.

Debilitas ſumma. Quæ non eſt major ſine partium jactura quam in Peripneumonia, nam homo, qui ante tantum ponderis ac roboris habebat, nunc à minimo puero dejici poteſt.

Pulſus exilis &c. Contra ac in omni alia inflammatione, nam ut *Galenus* notavit in omni inflammatione pulſus eſt robuſtus, durus tenſus, in inflammatione pulmonis eſt mollis, vix ſanguinem tranſmittens, hinc cor ſiniſtrum

non

non accipit ſanguinem, eſt inæqualis, unde non facile cognoſcitur Peripneumonia in Praxi in illo ſtatu, ſed tantum in primo ſtatu; unde nonnulli dixerunt Peripneumoniam eſſe ſine febre, ſed ſi ſanguis tranſeat, febris fit violentiſſima.

Reſpiratio difficilis. Quia pulmo ob infarcta vaſa explicari nequit, non enim hauriri poteſt aër, niſi pulmo extendatur in ſuis cellulis & veſiculis, pulmo autem extendi non poteſt, niſi cedat aëri irruenti, cum autem canales hic infarcti & exinde pulmo intumefactus ſit, aëri ſufficienter cedere nec veſiculæ aëreæ ſatis expandi poterunt, ergo aër ob reſiſtentiam majorem difficilius intrabit, ergo fiet difficilis reſpiratio, cum vero etiam in reſpiratione vaſa obſtructa premantur, non poteſt non eſſe, quin oriatur dolor vel major vel minor, aut potius gravitatis ſenſus, eo quidem plus, quo majorem ſimul aëris copiam hauſerint, ergo ægri, ut iſtud præcaveant (quantum poſſunt) citiſſime exſpirabunt, ergo fiet reſpiratio difficilis & ſimul celer, quia natura urget, ut pulmo explicetur, & quia hoc fieri non poteſt, hinc per multas vices ſuppletur.

Erecta. Nam dum homo erectus ſedet, abdominalia viſcera deorſum ducunt abdomen, ſed ſimulac æger decumbit, fit tanto pejor; quando vero morbus ſic invaluit, ut caput erectum tenere non poſſit, ſuffocatur. Deinde occurrit tuſſis vel ſicca plane vel cum ſputis variis, quæ ſignum conſtituit individuum pulmonum affectorum vel partium iis annexarum, quemadmodum ſingultus in affectionibus ventriculi, de tuſſi autem ſic habet *Bellinus*, cum autem (inquit) aſſueverimus, quæ mo-

molesta hærent pulmonibus per tussim arripere, conabimur igitur tussiendo molestiam inflammationis amoliri & violentia tussis secum aër aliquid arripiet, si materies jam cocta fuerit, vel quomodocunque se habeat, potuerit in folliculos & asperam arteriam derivari, & ab aëre per tussim acto asportari, eritque tum proinde tussis cum sputo vel purulento, sanguineo flavo vel cujus libet alius coloris &c. vel sine sputo seu tussis sicca, materia enim in pulmonibus hærens ibique molestiam creans erit quasi stimulus, unde homo tussire cogetur, ut hac ratione pulmones liberare materiamque peccantem foras excludere tentet.

Calida. Aër qui pectore ingreditur, est semper frigidior pectore aut animal moritur; quo plus aëris venit in pulmonem, eo minus calet ille aër, quando exit, & e contra, unde si opponatur manus ori talis ægri, sentitur summus calor exspiratu aëris. Alterum symptoma, quod observamus, est febris Acuta Continua, inflammationis validæ individuus comes, cujus hæc mihi ratio videtur; sanguis pulmonum vascula stagnat (liquidissimum per vasa lateralia absorbetur, ergo tantum crassiora in obstructo loco remanebunt, quæ ibidem acrimoniam concipere queunt(cor autem sanguinem propellere non desinit, ergo fiet continuo impulsus & attritus in locum obstructum, unde & fiet & major calor, qui reliquo sanguini partibus acribus & infectis (ex loco inflammato derasis) mixto communicabitur, ergo inde fiet motus præternaturalis & acceleratus humorum, qui mihi febris dicitur, hic Continua Acuta ob causam non intermittentem a-

aërem, adde quod obstructis partibus quibusdam motus per reliquum corpus liberum sit major; ne autem hoc paradoxon videatur, ligetur vinculis arctissime arteria quædam puta cruralis, ita ut sanguis per illam fluere haud possit, & observabitur certissimo indicio febrim exinde oriri, quæ solutis vinculis denuo fugatur. Postea adest dolor gravativus cum suffocationis metu, quia sanguinis in pulmone aggestus ejus molem auget, unde non ita quidem dolorem, quam onus pectori incumbens sentiunt ægri, quod pectus veluti premit, & quia suffocari dicimur, cum premi ita nos ad fauces vel pectus sentiamus, ut nec ducere nec reddere spiritum valeamus, oritur suffocationis metus in Peripneumonia, quod re vera nil aliud est, quam quod pulmo resistat, & ab aëre inspirato haud satis explicari queat, hoc videmus v. g. si aliquis externe ad pectus nos premit vi quadam, tum quasi suffocari nos dicimus, cum tamen nil agitur, nisi quod costæ cum sterno intus cogantur, sicque cavitas pectoris vel thoracis imminuatur, unde pulmo non satis loci obtinet, ut commode ab aëre irruente extendatur, adde, quod *Galenus* etiam dicat pulmonem non sentire, sed membranam, quæ ipsum investit, sensus non esse expertem; ultimum quod hic annotamus, est faciei rubedo, quia pulmo obstructus & inflammatus sanguinem recipere non potest, & sanguis ante cor dextrum sistitur (præcipue si inflammatio hæreat in ipsa arteria pulmonali) ergo vena cava tandem se in illud evacuare non poterit, venæ jugulares & vertebrales etiam sanguinem suum expellere non valebunt, ergo implebuntur justo plus, ergo omnes par-

tes (quarum venæ se in has evacuant) à sanguine distentæ rubebunt.

Delirium. Quia sanguis per internas jugulares venas redire non potest.

Mors. Hos ægros mire angi videtis, paulo post delirare incipiunt, hoc delirium per dimidiam horam durat & sunt soffocati. Porro nec inutile erit, ut symptomatum aliorum quandoque non semper tamen præsentium causam & originem investigemus, ut Medicus hac ratione oculatus certus reddatur, quid (si accidant) exinde concludere, quid judicare, quidque tandem agere oporteat, præter ergo jam tradita in Diagnosi dixi respirationem principio magnam & frequentem, mox frequentem & parvam fieri, principio enim morbi magna nondum est inflammatio, crescente autem crescit, & in de pulmo plus sanguine infarcietur, ergo extensioni vel explicationi minus erit aptus; hinc ratio patet, dixi autem cum stertore, quia sanguis in pulmonibus aggestus tumorem creans vias aëri dicatas angustat & comprimit, unde aër majori impetu per angustias transit, sicque sonum producit; exspiratio calida unde fiat ex præcedentibus liquet, dixi enim per frictionem & attritionem in pulmonibus majorem produci calorem, ergo aër iis receptus magis calefiet, ergo calidus exspirabitur: sensus autem gravitatis quandoque ut dixi, sub omoplata ad jugulum & mammam prorepit, si nempe inflammatio eo usque augeatur & procedat, anxietas autem & corporis jactatio fiunt à calore & æstu interno, quam ægri sentiunt, unde se ut plurimum nunc in hoc nunc in illud latus vertunt, ut hac ratione tentent invenire situm aut decubitum quendam,

qui

qui ipsis quoddam levamen adferre potest; sitis ut plurimum magna, subinde tamen minor Pneumonicos infestat & non mirum sane, aër enim calide nimis exspiratus partes humidissimas exore secum arripiet, cui acrimonia humorum tanquam stimulus succedit, ergo os siccum manebit, quam etiam ob causam ægri assiduo potum aëremque frigidum haurire desiderant, ut hac ratione os scilicet cæteræque partes humectentur & æstus internus dometur. Pulsus autem vehemens & celer eadem ac febris ratione oritur; morbo tamen in pejus vergente, non nisi erecti respirare & vix loqui vel deglutire possunt, quia si erecti sedeant, intestina & reliqua infimo ventre posita ut & diaphragma deorsum descendent, ergo capacitas thoracis augebitur; si autem decumbant supini vel in latus, poterit diaphragma à contentis in infimo ventre sursum premi, sicque amplitudo thoracis minui & pulmonis expansioni resistere; si autem nec loqui nec deglutire possint, denotat tantam adesse inflammationem, ut viam aëri intercludat, & æsophagum proxime subjacentem comprimat, unde etiam respiratio sublimis, quia ægri omni modo, quod molestum hæret, amovere aëremque, quanta possint copia, haurire conantur, unde summum thoracem cum scapulis movent, naresque expandunt, oculi autem interdum obscuri vident & quasi exsiccantur, quia à vasis sanguineis nimium repletis nervi optici premuntur, pulsus tandem fit languidus, mollis, inæqualis &c. quia tantum parva eaque fere serosa superest circulatio, crassiori omni in pulmone aggesto, unde & externa frigent, interna vero arden, & inflammatione ad ipsum cerebrum provecta fient de-

liria, vel sanguine incerebro subsistente & nervos comprimente sopor & tandem quando cor non amplius quid accipit, per consequens nil dimittit, sed omnis in pulmone sistitur sanguis, pulsus deficiet, & circulatio totaliter substet, & fiet ipsa mors.

§. 820. Si igitur quis consideret ex hactenus traditis morbi naturam, hoc est, inflammationem, causam, id est sanguinis stagnantis atritum & partem, quam morbus occupat hoc est pulmonem, hunc morbum in genere periculosissimum, acutissimum, & nullis fere tollendum remediis, audacter pronunciare, non est, quod hærebit, est enim tanto cæteris morbus periculosior, quo pars affecta reliquis præstantior est & nobilior; quid enim? certe pulmo tenerrimæ plane & intricatissimæ est structuræ, ut patuit, ergo facillime destruetur, dein pulmo ipsi cordi quam proxime adjacet, ergo & illud cito & facile afficere & infunctione sua lædere poterit; ulterius pulmo maximam cruoris copiam maximo etiam impetu perpetuo suscipit, perpetuo movetur, præterea pulmo summopere ad vitam sustentandam, respirationem; circulationem & nutritionem peragendam est requisitus; tandem pulmo in loco hæret, qui immediatam medicamentorum applicationem & revulsionem fere recusat; certe hæc matura mente ponderanti, nullum (quod scio) poterit esse dubium, quin cum *Celso* morbum hunc plus periculi quam doloris habere afferat, eo tamen periculosiorem, si inflammatio valida in arteriis pulmonalibus hæreat, totumque fere pulmonem infestaverit, tunc enim cito lethalis, eo tamen minus periculosum, si in arteria bronchiali solum, vel unum tantum

tum alterumve lobum occupaverit; in senibus debilibus, gravidis & puerperis (cæteris paribus)periculosior; exercitata & coacta corpora celerius à Pleuritide & Peripneumonia intererunt, quam quæ in otio conflictantur. Exquisita Peripneumonia sedem habet in arteria pulmonali, quæ si per paucas horas duret, producet mortem. Omnes Medici dicunt hunc morbum facile sanari posse, sed a Vera Peripneumonia difficulter credo; remedia antiphlogistica sunt tantum tria, magna dilutio crassi sanguinis, secundo magna dilatatio vasis constricti, tertio magna sublatio impetus vitæ ad vasa obstructa; hæc remedia nil juvant, quia inter arteriæ pulmonalis finem & cor dextrum sanguis hæret, ut transfluere possit, summum remedium est venæ sectio, sed si omnis sanguis tolleretur, non id circo Medicus sanguinem ibi hærentem attenuare, educere & resorbere posset, in omni reliqua inflammatione vires minuuntur, sed hic materiam in locum urgens hic retrogredi non potest, & si retrogrederetur, æger in instanti moreretur. Quo plura eaque graviora simul ex causis gravioribus concurrunt symptomata, eo periculosior morbus; sequitur enim illa semper inflammationis magnitudinem, imprimis in hoc tanto viscere pulmone, utpote qui raro medicamentorum vim experitur, quoniam hæc ejus actionem adeo necessariam tunc percipere nequeunt & proinde materiæ morbificæ corrigendæ inepta.

§. 821. Pone quatuor ramos esse arteriæ magnæ, pone unum esse obstructum, tum manent tres aperti, ex hypothesi nunc tanta sanguinis copia per tres ire debet ac antea per qua-

tuor, hinc major attritus, major calor, & pulmo destrueretur, sed si tantum de viribus, & de copia sanguinis demam $\frac{1}{4}$ partem, tum lentius transjicitur sanguis, & æger vivere potest, sed tamen non est certa spes, quia non scimus, an ille locus etiam non sit compressurus vicina loca.

§. 822. Si Medicus advocaretur ad duos homines, quos nunquam vidit, quorum unus pessima Asthmate, alter pessima Peripneumonia laboraret, & si nil de historia prægressa sciret, & ille Asthma laboraret, nam in Peripneumonia non sentitur, pulsus, ergo minor febris, sed cognoscitur primo, si æger laboraverit febre, antequam Peripneumonia correptus sit, secundo si febris habuerit symptomata vulgaria febrilia, tertio si nunquam Asthmate laboraverit, & si difficulter respiret cum erecta cervice, livida facie, cum tussi molli & difficultate in respiratione, si hæc signa adsint, & corpus prius non fuit Asthmaticum non est dubitandum. Quemadmodum enim omnis morbus inflammatorius, sic & Peripneumonia vel in sanationem vel in alium morbum vel in mortem transit. Hic *Hippocrates* adeo certus fuit, ut nemo posterior vel unam micam addiderit, adeoque hæc ex illo auctore contraxi & legibus circulationis applicui, sic dicitur Peripneumonia incorpore nata, aliquando sanatur, id est, restituitur, sic ut sine ullo morbo remanente æger sanus sit, hic egregius vir observavit, annotavit, digessit, & collegit omnes modos, quibus ægri sanabantur.

§. 823. In sanationem abit vel per benignam resolutionem, vel per coctionem & evacuationem criticam materiæ morbificæ, quod vel na-

natura vel artis ope perficitur; per resolutionem benignam, si materia morbifica ita subigatur & attenuetur, ut cum reliquis humoribus æquabili circulationi obedire possit; quod fiet, si æger morbum alacriter ferat, doloris vacuitatem habeat, facile respiret; nulla sit sitis, corpus æqualiter molle & calidum sit, ulterius si æger vasa habeat laxiora, id est, mollis & delicatus sit in otio vitam degens, sanguis si sit fluidior, alvus haud ita constipata: inflammatio non magna: & cætera symptomata non nimis urgentia, vires non prostratæ, sed integræ & morbo prævalentes existant; per coctionem & evacuationem criticam materiæ peccantis, quod contingit, quoties materies fluxilis quidem reddita, non tamen adeo subacta est, ut debite cum cæteris misceri & circumvehi possit, sed bonitate naturæ è corpore eliminetur; quod fit primo per sputum citum, id est, morbi ipsius principio, ante nempe quartum diem, liberum, id est, sine tussis molestia ac doloris acerbitate, flavum & pauco sanguine mistum, hoc est, in quo humoris morbifici evacuatio cernitur & satis copiosum; sputum cum sanguine guttatim est lethale, tenue est pessimum, nam tenax esse debet instar muci narium, coloris subalbicantis, & flavescentis ac si pauxillum tincturæ croci inesset; sanguis, non ibi guttatim adesse debet, sed sparsim in lineolas, tunc videtur malum hærere in bronchialibus arteriis, intra quartum diem sputum album esse debet, nempe prius stigmata, dein flavedo abire debent, hanc anacatharsin vix aliquis cognoscit, sed *Hippocrates* eam in omnibus observavit; sputum oportet Pleuriticis omnibus & Peripneumonicis tum ex facili, tum cito expurgari, ac

flavum sputo exacto permixtum; & sputum vero flavum pauco permixtum sanguine Peripneumonicis ineunte quidem morbo editum, salutare est, multumque confert, septimum vero diem agenti aut provectioribus securitatis minus est; ibidem debet autem & tale sputum dolorem sanare, respirationem faciliorem reddere & in album blandum cito mutari, omne vero sputum, quod dolorem non sanat, pravum est, quod autem sanat beneficum; ergo tale sputum, si quantitate & qualitate debita adfuerit, bonam exhibet Prognosin.

Idsit. Vasa, quæ in cava aërea pulmonum, asperæ arteriæ, bronchiorum, & vesicularum suos humores deponunt, veniunt à bronchiali arteria, & materiam deponunt, uti vasa mucosa in naribus ejiciunt mucum, & illa flavedo muci sanguinem in se habet, quo citius hæc materia in naribus ejicitur, eo citius tollitur, cogitate nunc catarrhum pulmones occupare & vasa, quæ mucum faciunt, tendi, ut non transmittant purum sanguinis, sed materiam flavam, sed per impetum sanguinis vasa tam laxa sunt, ut sanguis ex gutture exire possit, hæc nunquam è corde dextro sed de corde sinistro per bronchialem arteriam deveniunt, quæ in omnibus inflammationibus internis obtinent; tum oritur Dysenteria, sed si materia flava cum sanguine exeat, ægri sanantur, e contra si purus sanguis exeat, pereunt, ergo sedes hujus morbi est bronchialis arteria, & credo, hi ægri semper sanentur, nam à sanguinis missione, frigidis adstringentibus semper moriuntur, sed emolliantur vasa, suppeditentur blanda liquida, ut materia oriri possit, tum semper est sanabilis.

3. *Alvi fluxus biliosus*. Hoc eſt, ante quartum diem integris adhuc viribus, ſatis copioſus, nec tamen nimium levans, id eſt, dolorem & reſpirationem ſanans, omniaque ſymptomata mitigans, & ut *Hippocrates & Aretæus* dicit, ſi alvus feratur liberaliter biliofis dejectionibus, quod fit à forti contentione naturæ, cui, cum in anacatharſi molienda irritus labor fuerit, aliam invenit viam, qua ducitur ad conſervandam ſui, criſimque exhibet inſuetum per iter & multis ignotum; omnes fere Medici, qui jam diu optimi cenſentur, dicunt omnem Diarrhæam in morbo pulmonis eſſe bonam, at obloquitur *Hippocrates* & ſæpe contrarium videmus, nam ſi materia aliena, erit ſanguis ſemi-corruptus, qui per hepar ſpecie bilis abit in inteſtina tenuia, & redditur alvo, tum, non adeo res tuta eſt, ſed ſi æger ante quartum diem morbi alvum habeat laxam reddentem materiam mucoſam, ſubviſcidam, flavam colore intermiſtis paucis ſtrigmentis, ſemper ſanantur, non ergo verum eſt, quod in omni Peripneumonia alvi fluxus noceat, ſed debet eſſe ante quartum diem nec debet eſſe ſeroſa, tum enim eſt expreſſio, ſed ſi ſit mucus flavus pauco ſanguini permiſtus, poſtea albus redditus & levat ægrum, tum ſemper ſanantur, unde hoc fit? novi, quod Medici dicant, arteriarum bronchialium fines in pulmone à materia ſic fuiſſe obſtructos, ut ſanguis in venas ire non poſſit, nunc arteriarum bronchialium fines ſic diſponuntur, ut materiam obſtruentem tranſmittant; ergo illa materia ſanguini venoſo permiſcetur à pulmonibus reducibili, quod ad venam azugos deferri debet, hinc tranſit per arteriam pulmonalem, & in aortam arteriam tranſmittitur, & quia hic lon-

longe difficilius transit, abit in arterias mesentericas, & ad eorum fines deponitur, sed quod hi fines facile dilatentur, hoc docent dejectiones plethoricæ, quæ per hæmorrhoïdes fluunt, Quando adest fluxus alvi, tum sputum exit deorsum, ut ita dicam, & per arteriam splenicam perpluit in ipsum intestinorum cavum.

4. *Urina copiosa* &c. Secundum *Hippocratem* crassa, multi sedimenti participem ante quartum vel septimum diem, id est, *antequam suppuratio fuit facta*, emissa sanat omnes Peripneumonicos, tum materia subacta transit & facit talem urinam hypostaticam rubram, dein albam, hoc notat pulmones integre esse resolutos v. quoque Aretæus. Hæmorrhagia larga per nares, uterum, vasa hæmorrhoïdalia &c. est optima, hac tamen etiam lege, ut sanguis evacuatus sit & quantitate & qualitate bonus cum levamine & cæteris signis optimis. Si respiratio facilis, nec febris magna, laxitas & mollities toto corpore æquales cum libera diaphoresi, calore & somno blandis adsint, Medicus recreari & consolari se certa salutis spe poterit.

Α'δῖψια. Id est, æger non multum sitit, felix natura, quæ succurrit morbo per unum horum quatuor, & sapiens Medicus, qui disponit corpus, ut natura uni ex hisce viis insistere possit, & felix æger, si non turbetur, nam omnis subsequens curatio est incertissima.

Humiditas &c. oportet præsertim ad hoc attendere, & nullum signum minus fallet quam hoc, quod est optimum, nam hoc denotat jam sat sanguinis distribui per totum corpus.

§ 824. In alium transit morbum, qui vel pendet ex natura inflammationis ut in suppura-

tio-

tionem, gangrænam, sphacelum, vel scirrhum, licet nunquam exspectanda sit Suppuratio, nisi sanguis sit blandus, aliter mors fit, vel ex functione læsa ipsius pulmonis munus suum rite exequi non potentis, sic v. g. pulmonis munus est sanguinem à corde dextro per arteriam pulmonalem recipere, per venam demum propellere ad cor sinistrum, ergo si sanguis jam in finibus arteriæ pulmonalis stagnet, ibique inflammationem creet, poterit tandem stagnare ad cor dextrum usque, ergo cor se evacuare non poterit, ergo omnis sanguis à capite descendens per venas sistetur, ergo intra cranium accumulabitur, ibi inflammationem in arteriis duræ & piæ Matris producere, sicque Phrenitidem creare valebit, ergo hac ratione Peripneumonia ex functione pulmonum læsa transibit in alium morbum, hinc Phrenitidem peripneumoniæ supervenire patet esse malum quod etiam annotavit *Hippocrates*.

§ 825. In alium morbum transit ex natura inflammationis, primo si suppuretur, quod fit secundum *Hippocratem*, si dolorifica partium istarum mala (loquitur de Pleuritide & Peripneumonia) non quiescunt, nec expurgatione sputi, nec sanguinis detractione neque pharmacia simul atque diæta, in suppuratum vertuntur, qui autem Peripneumonici diebus criticis non expurgati sunt, sed eos cum delirio exigerunt, tandem exactis quatuordecim morbi diebus, periculum est, ne purulenti fiant, ergo Medicus si noverit, sæva haud tamen sævissima Peripneumoniæ jam data symptomata, adfuisse, morbum pertinaciorem, quam ut vi vitæ resolvi posset, existere, nec materiam morbificam bonitate naturæ per libe-

ralem

ralem & liberam anacatharſin vel quamcumque dictam evacuationem criticam diebus criticis id eſt 3. 5. 7. 9. 11. coctam & expurgatam, nec per artem emendatam fuiſſe, certa Prognoſi inſtructus prædicere poterit abſceſſum, id eſt, inflammationis in ſuppurationem tranſitum eminere, adde, quod qui futuri ſunt purulenti, primum quædam exſpuunt ſalſa mox dulciora ut & qui perhorreſcunt, crebro ad ſuppurationem deveniunt, quin & talium febris ipſos ad ſuppurationem ducit.

§ 826. 1. Signa Peripneumoniæ ſunt febris Acuta, reſpiratio valde Peripneumonica, tuſſis ſuffocativa, pulſus mollis, frigus corporis, capitis & pectoris, æſtus ſummus. Si æger laboret Peripneumonia & pulſus & reſpiratio utcunque conſtent cum calore æquabili, & morbus ante ſeptimum diem non ſit reſolutus, cito ſuppuratur, ſcitur ergo quando morbus eſt acris, & non eſt acerrimus.

2. Ante quartum diem hæc inflammatio reſolvitur, ſi hunc tranſierit ad minimum, abit in ſuppurationem, ſi ante quartum diem non integre reſoluta ſit, ſed tunc adhuc ſputo levari poteſt, quod ad ſuppurationem tendebat.

3. Si materia morbi in pulmones impacta Peripneumoniam faciens ſit adeo vehemens, ut reſolvi nequeat, nec ſputo copioſo facili, pituitoſo cum crocea vel birioſa hypoſtaſi, ſtrigmentis ſanguines ore rejectis, nec ſimili materia alvo depoſita, nec urina ſtranguirioſa ſolvatur, nec bubones appareant, nec alvi tumores ſalutares, certo ſuppurabitur, ſed per fomenta, diætam, medicamenta eadem ſæpe reſolvi poteſt; ſymptomata à pulſu & à ſuffocationis vel reſpirationis læſæ ſenſu diſcernuntur,

ſi

si hæc signa ultra quatuor dies perdurent, tum in arteriarum fine Vomica fieri potest, quæ rumpitur, tum non est suppuratio pulmonis sed bronchiorum, nam omnis suppuratio pulmonum non est lethalis, imo quod aliqualis suppuratio bona sit, si materia adsit cocta, docent cicatrices inductæ, si transierit quartum diem, & non sublata symptomata, morbus non est nimis acris, sed quæritur, an pulmo, an aspera arteria, an vesiculæ aëri contiguæ suppurantur? tum tertio vel septimo vel nono die debuissent esse ruptæ, si nunc rupta sit, & det materiam cum pauco sanguine, deinde materiam flavam, sed si tale sputum non accesserit, adhuc laborat.

Medicamentis. V. g. ingenti copia aquæ calidæ cum Melle, nam tum pars est dissipata, ut Oxymel *Hippocratis* & similia, quæ si adhibeantur, in initio multum proderunt.

Nec victu debito. Id est, alieno ab omni viscitate & acrimonia, hinc si ægro nil datum sit nisi aqua cum pauca farina & melle, tum facile suppurari posset.

4. Hac phrasi *Hippocrates* dicit symptomata non pessima, sed pertinacia, quæ sumuntur & sciuntur à tribus diversis capitibus, 1. anhelante respiratione post tertium diem, non tum pessima, sed pertinaci malo certo scitur suppuratio futura. 2. Pulsu à quarto die undoso, molli titubante, frigore ad extrema, calore ad pectus & caput scitur futura suppuratio, 3. si sanguis ita fluat, ut ad cerebrum stagnet, & Phrenitidis speciem faciat.

§ 827. Hæc signa in ægris legere potestis, ad minimum usque ad quartum diem locus est inflammatus, sed quarto, quinto vel septimo

die

die elevetur, si tum symptomata maneant, septimo die habeat horrores per corpus, tum signum est suppurationem incepisse quarto die, septimo die maturescere & decimo quarto esse absolutam. Si horripulationes oriantur notante *Hippocrate*, notant pus rumpere suas membranas & in sanguinem infundi, ac proin suppuratio erit facta,

§ 828. Scimus suppurationem esse absolutam, 1. Si signa inflammationis præcesserint, 2. Si pulmo suppuratus sit, 3. Si tussis sicca inchoata fuerit, quæ adeo pertinax est; ut nullo medicamento obediat; si hæc tussis augeatur post pastum, motum, cantum, clamorem, cursum, certissime indicat vomicam vel apostema in pulmone.

Post pastum. Id est, quando novus sanguis majori copia impellitur extendendo & obruendo pulmonem.

Strepens. Quando homines Phthisici vel Peripneumonici ferunt pus vel aliud liquidum circa vasa pulmonalia, tum hæc materia ita comprimit vesiculas pulmonales, ut quando inspirant & respirant, audiatur fervor, quasi olla fervens in pectore hæreret, *Hippocrates* hoc vocavit pectoris fervorem, & fit, quia pulmonis expansio & contractio illud pus per omnia vasa ire facit.

Decubitus tolerabilis. Si in unum latus jacere jam non possit, cum prius in utrumque potuerit jacere, pars seu latus, in quo jacere non possit, est affectum, cum enim jaceat in non affecto, per materiam puris mediastino illapsam, alter locus etiam liber comprimitur.

Febricula. Quia copiosior sanguis & chylus crassior transire debent.

Ru-

Rubore labiorum. Tunc oritur febris Hectica ſoboles latentis puris, appetitus eſt penitus proſtratus, nullo enim ullius rei appetitu feruntur ægri, ſi pus generatum ſit, ſed ſitis magna adeſt, ſudor ad cervicem, collum, frontem, non ad aliam corporis partem imprimis ſi dormiant paulo quieti, quaſi per ſpongiam guttæ emergunt, urina ſpumoſa ſemper craſſa quaſi jumentoſa, ſpumæ bullis non diſſilientibus, motu novis bullis excitatis iiſdem manentibus, quod ſignum ſemper in Hectica Phthiſi adeſt, uti & macies & ſumma debilitas, jam ſuppuratus pulmo vel in medio ſinum habet, vel pejus eſt, ſi ſaccus vel ſinus adſit, eſt Vomica vel Apoſtema, ſi hoc ruptum ſit ad pleuram, eſt Empyema, ſi evacuatum in aſperam arteriam, vocatur Phthiſis purulenta cum ſputo.

§. 829. *Apoſtema.* Latine abſceſſus, vocatur materiæ purulentæ coacervatio facta in aliquo loco pulmonis, ſi pus inde non exeat, tunc dicitur Vomica tecta, cum pus exit & manifeſtatur, vocatur vomica rupta vel Apoſtema rupta. Omnis abſceſſus ſemel factus omni momento augetur, hinc fieri poteſt, ut tandem pulmo ſenſim penitus ſuffocetur, æger in abſceſſum abeat, & moriatur.

1. Apoſtema enim ſive Vomica ab infarcta materia & vaſis in pus converſis formata & in tumorem nimis magnum redacta comprimit & reſpirationi vias præcludit. Nam contingit aliquando, ut unus lobus pulmonis in media ſubſtantia ſit exeſus, ibi collocetur, pus, quod primum in parvo cavo colligitur, labia coërcentia macerantur, inflammantur, diſtenduntur, pus amplius colligitur, tandem fit major Vomi-

mica pulmonem suffocans, & Phthisis sicca adeo suffocans, ut ille saccus pure plenus alia vasa pulmonalia ita comprimit, ut sanguis ex dextro corde in sinistrum non transeat, hæc est vera Phthisis vel consumptio sicca, à pure collecto viam intercipiente, qualem aliquoties vidi.

2. Ponite tuber instar pugni pure plenum in pulmonibus hærere & fundi materiem, quæ pulmonum & costarum vi in bronchia ire cogitur, tum uno impetu ascendens ruit per nares & os, & suffocat ægrum; postea ex illorum ægrorum mortuorum ore effluit materia purulenta cum sanguine; plura talia exempla videantur apud *Tulpii Observationes*.

3. Id est, si illa vomica hæreat in vasis & rupta sit in aërea vasa, pars pure plena compressa illud sensim eructat in asperam arteriam, hoc expurgato quiescit, si iterum satis puris generatum sit, tussiunt ægri & iterum rejiciunt, hæc vocatur Phthisis sputatoria, duplex liberans, si novum generatum usque ad totum pulmonem & sanguinem consumatur, hæc vera Phthisis est vulgaris, unde tollitur admiratio materiæ tam copiosæ in Phthisicis per pulmones eructatæ.

4. A materia acri intus nimis distendente & rodente rumpi poterit, quod fiet, si initio dolor sit fixus & contumax, unaque difficilis respiratio ac tussis cum Ptyalysmo, ad vigesimum diem, eoque celerius ruptionem exspecta, quibus autem hæc leviora serius pro ratione, sed ratio ineunda temporis, à quo fuit primum sævus dolor, aut gravitas aut febris exacerbata, si forte tum rigor invaserit, accedere autem necesse est dolorem, Dyspnæam &

Pti-

Ptyalifmum ante ruptionem, & plurimæ fuppurationes rumpuntur, aliæ quidem vigefimo die, aliæ vero quadragefima. Nonnullæ etiam fexagefima. Vel pus contentum acrimonia fua exedens vias fibi parabit extraordinarias, ficque in cava thoracis & mediaftini delabetur, hinc Empyema, Phthifis, Tabefque, vel poterit purulenta materia venis pulmonalibus reforberi & fanguini mifceri, ficque ad loca quædam certa perveniens fecerni, colligi, ibidemque novos producere abfceffus. Si Vomica jam rupta fuerit fuam quoque fauftam finiftramque exhibet Prognofin; nam quibus & ipfa febris ftatim à ruptione difcedit, & concupifcunt cibos, ipfum vero pus educitur, facile, album, nil olens, æquale, leve, nec fervidum, atque tum alvus pauca & figurata excernit, illi confeftim fanantur, quibus autem veniunt inde febres & fitis & cibi faftidium, atque pus exit lividum, viride, fpumans & fervidum, alvufque liquida eft, moriuntur, & quibus concutiendo pus educitur cænofum & fœdi odoris ut plurimum moriuntur; quibus à pure colorantur fpecillum tanquam ab igne, pro maxima parte illi intereunt.

§. 130. Hæc eft nobiliffima doctrina *Hippocratis*, qui hanc tam follicite inquifivit, quomodo natura fe expediret, hæc ergo bene eft nofcenda, fi enim Medicus nefciens hanc affectam viam à natura turbet, æger moritur, hinc tam follicite fuos difcipulos monuit, ut talem abfeffum futurum obfervarent. Materia in fubftantia pulmonis hærens vocatur vomica tecta (Vomicæ enim funt variæ vel ichorofæ vel purulentæ, vel faniofæ.) hæc materia purulenta venis reforbta, cruori mixta creat

dia-

diathesin cacochymicam purulentam sanguinis, unde sanguis emissus continebit pus, si vero illud pus per metastasin in loca quædam deponatur, ibidem abscessus variaque mala pariet; quod si ad crura contingat, tanquam loca minus nobilia, minusque ad vitam requisita erit Prognosis bona, per hanc enim metastasin pulmo liberabitur; unde, teste *Hippocrate*, qui ad crura descendunt abscessus in Peripneumonia multum periculosa; utiles quidem omnes; sep optimi demum illi, qui purulento jam sputo flavo abscedunt, minus autem securi sunt tales abscessus, si ad hepar, lienem, cerebrum, & similia loca nobiliora contigerint, quamvis enim deinde pulmo liberatur, alia nec multo minoris momenti damna machinæ inde parantur. Quibus autem ex Peripneumonia sub auribus vel inferis partibus nascuntur abscessus, ibique suppurant & fistulantur, hi defunguntur morbo, attendere autem sic decet ad ista, si febris detineat, si dolor nondum quieverit, si convenienter sputum non edatur; si alvus non liberaliter feratur biliosis dejectionibus, si urina nec admodum multa & crassa sit, nec multi particeps sedimenti, cætera autem salutaria signa salutaliter suffragantur, abscessus ejusmodi certo sperare oportet; si autem recurrant abscessus, & febris consectaria sit, nec sputum foras exeat, hinc delirii & mortis metus adfertur.

§. 831. 1. *Hippocrates* dedit sequentia signa, quibus Medicus cognoscere potest in Peripneumonia vel Phthisi futuros abscessus ad inferas partes; si hæc signa maneant, & tamen æger non succumbat, tum materia fluctuans semper ad aliquem locum abibit.

2. Si pulſus ſit vacillans non conſtans uno momento nempe inæqualis robore ſuo & tempore, ut vidimus in fœminis, ubi ſanguis ad mammas per venas uterinas advehatur, tum adeſt hoc tempore talis pulſus; & hoc eſt certiſſimum indicium materiem incipere per ſyſtema vaſorum vagari, cruori commiſceri, & ejus circulationem turbare, tum Medici doctrinæ *Hippocratis* ignari multa metuunt, quoniam hæc materia totam ſanguinis maſſam inundat.

3. Tales abſceſſus futuros ad inferas quidem partes ex *Hippocrate* novimus, quibus ſcilicet hypochondria incandeſcunt, hinc ſi æger titillationem, ruborem levem & tenſionem ſentiat ad hypochondria & lumbos, tum ſignum eſt colligi pus in vaſa intra arteriam cæliacam & venam portam.

§. 832. 2. V. g. æger Peripneumonicus decubuit ad tres ſeptimanas, omnia ſigna fuere futuri abſceſſus, die vigeſimo primo queritur non quidem de magno dolore, ſed tenſione ad hypochondria, non quidem magna anxietate, ſed gravitate, hoc notat ad femur futurum abſceſſum, monente *Hippocrate*, ſignat enim non ſatis ad hypochondria, ſed magis ad inferiora vergere materiam.

Levioris. Si æger queratur de dolore & tenſione non valde moleſta, hoc notat materiam ſe depoſituram ad hepar per cæliacas & meſentericas arterias, ubi fiet malum æque malignum ac factum fuiſſet in pulmone.

§. 833. Signa 1. ſuppurationis, 2. materia mollis, hoc eſt, pulſus fluctuans, dolor non acutus, tum materia abit in vaſa hypochondriaca, id eſt, in arterias meſentericas & cæliacas.

Mollia. &c. Miremini mecum ſapientiam *Hippocratis*, qui hæc optime diſtinxit ſi æger de tenſionis abdomine conqueratur, materia it ad inguina & abdomen, ſi ad hypochondria mollia & ibi nil mutatum eſſe ſentitur & materiam vacillare conſtat, ſignum eſt materiam non deorſum, ſed ſurſum exitum quærere, ſcilicet ad aures. Recentiores Medici hanc doctrinam vel omiſerunt vel ignoraverunt recipientes circulationem, cui hæc ipſis contraria videbatur, ſed neceſſario hoc efficit circulatio, pus enim reſorptum lege circulationis ad omnia loca deponi poteſt,

§. 834. Cognoſcitur abſceſſus ad hepar futurus ſequentibus indiciis, ſi dolor adſit ad hepar, urina flava, crocea, color flavus, tunica adnata flaveſcens, pulſus vacillans, hypochondria tumeſcentia; tum ſcimus pus in vena porta hærere, & tranſiturum in hepar, tum totum hepar ſuppurabitur: 1. triplex eſt, oculi ſi abierit in communem ductum per vaſa hepatica per porum hepaticum, qui inteſtino duodeno exoneratur & ſolvitur alvi fluxu purulento de quo ſtatim dixi: 2. vel retro venam cavam non ſuppuratione hepatis. Hinc fit diarrhœa colliquativa, purulenta talifica, ſubibit: 3. vel tandem manebit in hepate vomicæ pars, quæ cum aliis phænomenis ſimul jungitur.

§. 835. Corpus crudum in ſanguinem fluens materia morboſa vocatur, quæ ſi ex maſſa ſanguinis abeat, & ſe recipiat in certum locum, ejus collectio ibidem apoſtaſis Latine abſceſſus vel receſſus vocatur, qui poſtea, quoniam materia ſuppurata plenus repertus eſt, à Chirurgis pro ſuppuratione receptus eſt.

Fiſtu-

Fistulosi. Hoc est, à parte superiori novum pus suppeditant.

Semper salutares. De his *Hippocrates* ubique in suis scriptis de morbo Epidemico, de affectionibus internis clamat, nam nullum vidit periclitari, quibus hic abscessus affuit, hoc enim notat pus per has vias se evacuare.

Mali. Hi non levant, quia sunt modo ex abundantia puris, nam ad finem Phthiseos quoque ulcera fiunt, sed hæc non levant, sed fiunt, quia totus sanguis pus fit, sed non quia materia purulenta de sanguine secedit.

Evanescunt. Nam hoc notat pus redire intra corpus & accidunt metastases lethales; si v. g. Peripneumonici habeant abscessum circa aures, qui subito concidunt, & morbus non levatur, æger subito morietur.

Peripneumonia. Si quis valde calefactus subito potaverit, accipit pulmone suppuratos.

§. 836. Si materies impacta crassior terrestris magis & inertior tantummodo remaneat, quidquid liquidissimum est, dissipetur, sicque vasa ampliat & distendit, vicina comprimit, & in callositatem deducit, unde fiet tumor scirrhosus pulmonis, qui ab *Hippocrate* vocatur tuber pulmonis; pulmo ad illum locum obstructum siccior redditur, quia perpetua respiratio, quæ semper in omnibus cavis partibus corporis fit, inter duas membranas impeditur, und pleuræ quandoque pulmo adnascitur, tum pulmo motum diaphragmatis sequi non potest, & inde fit, ut æger tota vita orthopnæa quasi laboret cum tussi, quia illud onus pulmoni molestum hæret, quod tussiendo avellere conatur, hæc autem incommoda semper post pastum & motum etsi leviorem pejora fient; hoc maxime do-

docuit apertura boum, qui dum ſpecie Peripneumoniæ laborarunt, ſemper pulmones accretos pleuræ habent; ſcirrhi in hac parte ſæpe ſunt magni, ut viderim pulmones à ſcirrho quaſi lapideos. Aliquando etiam oritur materies tuberoſa pulmonis, præſertim ſi æger atrabilarius abuſus fuerit intempeſtive refrigerantibus.

§. 837. Hic eſt quartus exitus inflammationis, pulmo non dicitur gangrænoſus, quando totus in tabem eſt converſus, ſed quando ita eſt diſpoſitus, ut à corde dextro ad ſiniſtrum non ſit humorum tranſitus; vel ille ſtatus partium ſolidarum, quo vitalis humoris arterioſi influxus, venoſique refluxus ad locum reciprocus denegatur, hinc in gangrænam abit, ſi materies inflammans fuerit acris, valde mala, inflammatio vehementiſſima, omnia ſymptomata Peripneumoniæ violentiſſima nullo modo ſedata, ſi vires ægri ſubito proſternantur, ſi pulſus ſit ſumme debilis, quod eſt ſignum peſſimum, quia ſanguinem ad cor ſiniſtrum non pergere deſignat, ſi extrema frigeant cum ardore ad pectus ſummo, quod eſt ſignum ſanguinem non pervenire ad ultima, tunc enim vaſcula ſubito rumpuntur & liquida putreſcunt, ſi adſit reſpiratio difficillima, oculi protuberantes, genæ liveſcentes, facies tumeſcens, colores purpurei & lividi; poſtquam hæc præceſſerint, ſi tum æger ſputum ichoroſum, tenue, cinericeum, lividum, atrum & fætidum excernat; & dolor ſubito abſque cauſa deſinat, quia ſit mors partis, quæ cito (licet æger ſe melius habere exſtimet) reliquis partibus communicabitur, ergo tunc gangrænam jam factam, & ægrum morti proximum certo credit Medicus.

§. 838.

§. 838. *Observatio.* Pone hominem tali ægro adesse, qui penitus nesciat, quid pulmo sit, poterit tamen observare, quod laboret impedita respiratione & tali corporis mutatione.

Cadaverum. Nonnulli recentiorum veteribus nimis invidi nobis dicere voluerunt, quod non constet *Hippocratem* unquam cadavera mortuorum incidisse, sed si attendamus, dum dicit, Peripneumonia sic incipit tali decursu, talibus signis, decimo quarto die rumpitur abscessus, ægri bene valere & liberati esse videbuntur, tum fiet Orrhopnæa recrudescens, tussicula, genæ lividæ, appetitus perit, hoc fit, quoniam pulmo puri immersus contabuit, quomodo hoc *Hippocrates* unquam scivisset, si hoc per Anatomicam sectionem non observasset.

§. 839. Ille morbus multo frequentius occurrit ac quidem putatur; Vir Clarissimus, qui nimium se deambulationi dederat, habebat inflammationem circa pulmones, vidi eum tractatum pro hypochondriaco, pro asthmatico & morbo lento, sed pulmo corruptus magnam puris copiam dedit, unde totus consumptus apparuit, licet nunquam puris signa habuerit, minima enim diathesis Vomicam facere potest, & illa Vomica totum pulmonem exedere valebit.

§. 840. 1. Hic morbus est periculosus ob pulmonis functionem necessariam ad vitam, nam corpus pulmone ne momento quidem carere potest, quin pereat nam omnis totius corporis sanguis, ne guttula quidem excepta, per Pulmonem transire debet; 2. materia inflammatoria pulmonis actionis est subigenda, sed illo læso subigi nequit per diluentia; nec impetum minuentia, nec laxantia; 3. hæc inflammatio non distat octo pulsibus à corde dextro, ruit in

locum inflammatum; unde ob impetum pessima est inflammatio, 4. omnis sanguis totius corporis continuo transire debet per pulmonem, unde locus ab inflammatione sanari nequit. 5. ob motus visceris pessima est, nam violentus motus statim inducit gangrænam, & pulmo semper movetur, hinc tantum est periculum. 6. ob situm, medicamenta ex corde dextro pellenda & appulsura ad locum inflammatum, eo non perveniunt, quia sanguis à corde pulsus sistitur, 7. teneritudo vasorum facillime destruenda, nam pulmo est congeries fistularum, quæ omnium tenuissima sunt, hinc quando per microscopium pulmonem examinamus, tum miramini, quomodo homo vix unum diem vivere possit. 8. revulsio est retractio materiæ inflammatoriæ, ut revulsio in inflammatione optime fiat, pars affecta quiescere debet, quod hic fieri nequit; denique nulla sanguinis missio hic juvat, quia sanguis retroire nequit, cordis enim valvulæ obstant, & si retroire posset, animal tamen statim moritur; tandem si materia inflammatoria hæreat in vasis quibusdam majoribus ab aorta oriundis, post triduum se in pus disponit, quanto magis vero in pulmone.

§. 841. Simulac pulmo sanguini fluxum renuit, cor dextrum renuit sanguinem suum, & sinistrum non accipit, hoc inde quoque accidit, quia utrique ventriculi horizontaliter positi sunt, quam obrem dextrum repletissimum & sinistrum vacuum cor in latus dextrum procidat, hoc etiam *Hippocrates* scribit, quod ignarus circulationis scribere nequaquam potuisset, nisi ex inspectione cadaverum Peripneumonia defunctorum. Quando pulmo est perfecte inflammatus, tum cor dextrum nullum sanguinem dimittere

potest,

potest, hinc tum venæ coronariæ se evacuare nequeunt, unde cor inflammatum sanguine est repletum. Peripneumonia mortem infert, quatenus à sanguine in pulmonibus aggesto ægrumque suffocante producitur, quemadmodum enim signa resolutionis vel alius morbi futuri exhibuimus, sic & ipsius instantis mortis jam tradere lubet, ut Medicus rogatus periculumve mortis sit, nec ne, his instructus judicis instar ægrum certo moriturum pronuncies. Si ergo symptomata hoc morbo enarrata vehementissima existant, hoc est, si respirationis difficultas sit summa, oppressio pectoris violenta cum continuo & intolerabili suffocationis sensu, si corpus refrigescat cum sudore frigido, pulsu languido, tremulo, inæquali & intermittente, si febris sit acutissima perpetuo aucta, cum tussi continua molestissima, &, expectoratione nulla, si convulsiones, deliria, vel animi deliquia frequentia & magna adsint, si tum singulis momentis vires ægri labefactentur, oculi obscurentur, cum lachrymis involuntariis & caliginosi fiant, conclamata res est, & æger certo citius aut tardius morietur, dein à Pleuritide, Peripneumonia detento alvi profluvium superveniens malum dicit *Hippocrates*, ne autem huic contradixisse videar, rationem in hoc capite addidi, hic enim alvi profluvium intelligo nimium, post quartum aut septimum diem superveniens, ubi jam morbus naturæ prævaluit, & ægri vires exstinctæ sunt, denotat enim tantam materiæ morbificæ copiam & acredinem, ut in destructionem machinæ certet cunctis jam fere internis quasi Paralyticis factis; unde talis Diarrhæa plerumque Colliquativa, hoc est, incurabilis existit; dein à Pleuritide, Peripneumonia

malum & Peripneumonia Phrenitis malum.

Paraplegia. Quando æger nullam partem intra jugulum movere poteſt ob impeditum ſanguinis in cerebrum acceſſum; Paraplegia eſt paralyſis omnium partium ſub capite poſitarum, cerebrum ſanguine obruitur; ſi materia reſolvatur, quia illa ſtatim ad cerebrum ruit, hinc extrema frigent, & ſi cerebrum ita ſanguine obruatur, ut nil ſentiant, tum ægri à Phrenitide brevi moriuntur.

Senſu expers. Quia caput ſanguine eſt repletiſſimum, quod non mirum eſt; nam ſimulac ſanguis in pulmonibus ſtat, tum etiam ſtat in jugularibus & in cerebro, & ex cerebro redire nequit.

Tenuis. Quibus in Peripneumonia urinæ continuo craſſæ mox ante quartum diem tenues fiunt, mortiferum, niſi ægri forte aquoſa potaverint, aliter notat ſanguinem tantum ſtare ut ſeroſa tenuis per cor ſiniſtrum pellatur.

Si cogitur. Si in vigore, dum ſymptomata maxime urgentia ſunt, ſint orthopnoici, peſſimum eſt ſignum, nempe quod totus pulmo ſanguine ſit repletus.

Strepitus in pectore fit, quando vaſa aërea ſic premuntur à ſanguineis vaſis, ut membranæ ſupra ſe invicem rodantur.

Seceſſus. Tum ſignum eſt totum pulmonem eſſe abſceſſum, omnia in pus converſa jam per hepar excerni.

Strepente. Ut ſemper fit ante Peripneumonicorum mortem, & videntur illi ſemper exſcreare debere, ſed non poſſunt, tum veſiculæ pulmonis inter ſe fricantur.

Stillicido. Nam hoc notat ſanguinem eſſe compactum, nec meare poſſe. De peripneumonia ſicca iis verendum, qui pauca exſpuunt,

&

& cocta paulisper & pectora rubris maculis persparsa, talibus mortem subesse testantur auctores, periculosius tamen est, in qua nil exspuitur.

Asperßis. Designat ibi fieri gangrænam.

Coryza vocatur *humoris acris per nares & fauces stillicidium perpetuum*, hoc est lethale signum, quia designat ibi partes jam inflammari

Febres. Docet enim sanguinem ita esse exassatum, ut per vasa fluere non possit.

Sputum biliosum. Hoc damnat *Hippocrates*, sed ipse sputum cum sanguine laudat, notat enim inflammationem cum suppuratione increscente. Sputum album rotundum quasi substantiale compactum, cœnosum quasi esset luteum aut amurcosum, quasi fæces olei in vasis in fundo residuæ, una parte alta inæquale, altera alterius coloris, æruginosum, subviride, tum hoc notat fracta esse vasa pulmonalia, unde omnes ægri moriuntur, nam omnibus his casibus gangræna vel præsens est, vel ejus finis designatur.

Liveus. Hoc *Hippocrates* accuratissime annotavit, ratio est; quoniam perfecta Peripneumonia necessario intercipitur iter sanguinis ad cor sinistrum.

Mors. Hippocrates optime dixit, quia pulsus deficit, quamdiu arteriæ vi sua contractili adhuc premunt, sanguis carotidum adhuc premitur versus cerebellum, sed si cor non pulset, sanguis ad cerebellum non amplius fertur. Præterea frigus adest madidum cum sudore viscido ad genua, pectus æstuat, genæ rubent, quia venæ jugulares non evacuantur; hæc omnia sunt dicta *Hippocratis*, & quod valde sit mirum, hæc conveniunt cum hodier-

nis Anatomicorum descriptionibus.

§. 842. His itaque præmissis tandem ad scopum Medicum me accingo, puta curationem, quam quidem fere arduam in morbo tam acuto & periculoso, tam varios habente exitus, ideoque nec solum pro varietate causarum & symptomatum variam, sed & pro qualibet morbi conditione, statu & exitu, mutandam, quisquis vel minime in arte versatus facile ex dictis judicabit, quis enim quæso tam audax, ut temerarie, unum idemque remedium in principio, acme & fine hujus morbi adhiberet, cum ut vidimus tam mirifice variet, certe, quod reor, nemo nisi summum vellet & periculum & infamiam incurrere: agite ergo videamus, quid natura expetat, quidque *Hippocrates* nos moneat, & inde concludamus, quid per totum morbi decursum agere, quid omittere, incumbat Medico, ut felix & prudens evadat, nec se, nec ægrum in periculum conjiciat.

§. 843. Si signa sint futuræ resolutionis, quid aget Medicus? cogitabit in ægro esse dispositionem, licet sanguis per vasa pulmonalia difficulter transeat, sed omnium signa quidem illum sanguinem transiturum docent, nempe respiratio non suffocans, pulsus satis adhuc fortis & regularis, febris quidem, sed totum corpus æqualiter calens, nempe caput & pedes, tussis quidem sed tam mitis, ut pulmo explicari possit, sanabilem tunc morbum pronunciabit, hinc si adsint hæc signa, id est, si natura resolutionem vel sanationem per anacatharsin conetur, caveat sibi Medicus à venæ sectione, ea enim adhibita, ut jam dudum notarunt Practici, anacatharsis sæpe sistitur, morbusque in pejus ruit, & sane hic quam verissimum,

mum, quod toties monet *Hippocrates*, Medicum tantum obsequi naturæ, nec eam cogere debere, Medicus enim tantum est naturæ minister, ergo si illa resolutione aut crisi sanationem intendat, cur quæso Medicus illam venæ sectione aut pharmacis turbaret, *Hippocrates* nos monet, aut quod quæ judicantur & judicata sunt perfecte, neque movere neque innovare sive purgantibus sive aliis irritamentis sed sinere oporteat, ergo & hoc nolumus, sed curabimus, ut æger corpore & animo quiescat, ut sanguis majori impetu ad cor dextrum venire non possit; aër non sit nimis calidus, ne pulmo exsiccetur, nec nimis frigidus, ne vasa constringantur, sed tepidus, humidus; æger se exponet balneo vaporis sub pallio, &c. tum maxima spes erit resolutionis propter laxitatem vasis conciliatam. Applicantur ad os & nares spongiæ aqua parum calida plenæ; foveantur manus & pedes in pelvibus aqua tepida & calida plenis; victus sit tenuis, potus levis, non gravans pulmonem, hinc serum lactis sufficit his ægris, hoc enim vires satis sustinet, sed quando æger debilitari incipit, tum bonum est signum & pulmo liberatur, nec opus est similem victum continuare; tum medicamenta aquosa conducunt, nam in hoc statu arteriarum fines sunt obstructi, & materia impacta morbum creans disposita est ad materiam transmittendam & ad vasa aperienda, ergo teneamus sanguinem mobilem non tamen nimis mobilem, non acrem & vasa nimis laxa; medicamenta optima sunt aquosa ut decoctum Hordei, vel seminis Lini, tam tenues ut serum lactis vel lac ebutyratum per Manicam *Hippocratis* filtratum in morbis Acutis est optimum diureticum &

sudoriferum nutrimentum renuissimum & sufficiens in his casibus; saponacea etiam sunt optima ut Rob Ribesiorum, Sambuci, Mororum, Oxymel simplex, Nitrum methodo nostra paratum; Farinosa cocta usque ad spissitudinem Lactis, Mel multa aqua dilutum; Peripneumonia laborentes his applicatis brevi sanantur, talem Peripneumoniam plures sæpe patiuntur, ut si quis obtuso pectore laboret, paucis horis hac methodo curatur.

§. 844. *Adest.* Scilicet quando materia per sputum prodire incipit, dixi quid illud sputum sit, non enim ex ruptis vasis prodit; sed fines extremi paulo plus dilatati nunc incipiunt transmittere materiam per dilatata vasa, non fit diabrosi, nec diacrisi, nec crisi, sed anastomosi, cave, ne frigus pulmones occupet, cave ab omni potu frigido, aër sit blandus, pulmones teneantur in molli, tepido & humido aëre, utatur æger mollibus medicamentis; capiat vapores ex sequentibus decoctis v. g.

℞. Semin. Lini integr. ℥j
Coq. in ℔ iv Aquæ puræ
spatio $\frac{1}{4}$ horæ aut paulo
longius addatur
Sal. Polychrest. ʒj
Syrup. Althææ Fernelii ℥ij
M.

Hoc est lenissimum & blandissimum decoctum, idem efficit decoctum seri Lactis cum floribus Althææ, Sambuci, Hyperici, sed sine caliculis Borraginis, Buglossæ, Betonicæ absque caliculis aut foliis, vel decoctum Ficuum, Jujubarum sine nucleis, vel decoctum Glycyrrhizæ;

rhizæ; vel decoctum foliorum Parietariæ, Agrimoniæ, Taraxaci, cum seminibus Papaveris, Fæniculi cum Glycyrrhiza, potus sit decoctum Hordei solum juxta *Hippocratem* vel ptisana, vel sequens remedium.

℞. Aq. decoct. Hordei pint j,
Nitri puri ʒj
Oxymellis ℥ij
M. pro potu.

Vel sumatur decoctum seminis Papaveris Rhœados vel florum Althææ, vel seminis Oryzæ, Avenæ, Scabiosæ vel Malvæ &c. in unciis duodecim dissolve unciam Mellis recentis, Nitri puri dragmam unam, admisceatur Mel Rosaceum, vitellum ovi, syrupus Violarum aut Capillorum Veneris &c. fiat eclegma. Emulsiones fieri possunt cum Melle, sic uti possumus Prunis maturis, Passulis majoribus, minoribus, & Jujubarum decoctis, non spissis; decocta quinque radicum Aperientium cum Oxymelle & Acetosa sunt optima; medicamenta reficientia sunt Hydragoga, quæ constant ex tribus partibus aquæ & una parte lactis, si morbus sit gravis, verum si levior ex duabus partibus aquæ & una parte lactis, si adhuc levior tandem æquali copia. Venæ sectio est vitanda, tali sputo sanguineo apparente plures ignari clamant, mittendum esse sanguinem; quod si fiat, tum tollitur tota dispositio tam benigne secernens, nam vasa tum sunt dilatata, quæ materiam inflammatoriam ab extremis transmittunt; sudor non est promovendus, nam non promovet expectorationem, sed subtilius educit & impactum relinquit, hinc nocet

cet, quámvis ſæpius ſed male promoveatur; hinc vitanda ſunt omnia hanc expurgationem impedientia; hac enim ratione, nec naturam in ſuo opere molientem turbamus, ſed auxilium blandum ſuppetimus, quo criſin inceptam facilius abſolvere & perficere valet.

§. 845. Si ante quartum diem oriatur alvi ſolutio cum levamine & fæces alvinæ mucoſæ flaveſcentes cum ſtrigmentis ſanguineis intermiſtis, tum Medico eſt cogitandum, quod materia inflammatoria in pulmone hærens ſoluta, mobilis reddita, ita determinata ſit per arterias cæliacas & meſentericas, ut ſubeat cava inteſtinorum, tum adhibenda ſunt lenia clyſmata, non ut æger purgetur, ſed ut totus inteſtinorum tractus diſponatur, ut materia melius obediat, hinc ſcopus Medici eſſe debet, ut alvus laxetur, non vero violenter ſubducatur, quod eſt efficiendum per leniſſima medicamenta; hinc valde errarunt *Bellinus* & *Baglivius* aliique ſummi viri, quando dixerunt in omni Peripneumonia alvi fluxum eſſe lethalem, hinc eam alvi ſolutionem per adſtringentia nequaquam ſiſtere licet Medico, ſi ſcilicet non nimia ſit, nec vires exinde nimis exhauriantur, natura enim hanc invenit viam, ut ſe liberet, peſſimum ergo & monito *Hippocratico* maxime contrarium eſſet, hoc per medicamenta impedire, viamque ſic ſalutis intercipere, ſed potius per leniſſima & blandiſſima emollientia clyſmata naturæ ſuccurremus, v. g. ex decocto Malvæ, Verbaſci, Parietariæ, Mercurialis, Althææ, ſeminis Lini addito pauco Nitro vel Mellis, vel ex ſolo lacte cocto cum Saccharo vel Melle Mercuriali, hæc enim nequaquam alvum irritabunt, ſed vias tantum lubricas ſervabunt,

vabunt & balnei instar erunt, simul & ex iisdem vel quibuscumque demum emollientibus fomenta lenissima semper calida servanda per pannum vel lanum suppositum abdomini imponemus.

§. 846. Si æger laboret stranguria, id est, si urinam emittere non posset, eaque sit crassa, pura, lenta, interim pulsus, respiratio melior, tussis sedata, febris minima, dentur medicamenta ~~quæ~~ renes & omnes urinæ vias laxas tenent, optimum dedi remedium in *Materia Medica*, nam tale decoctum tuto adhiberi potest, non inflammat, sed deterget & determinat, si æger simul assumere velit lac recens, lac ebutyratum, serum lactis ebutyrati pro potu tanto melius procedit; ego eodem morbo laborans sumebam radices Fœniculi cum aqua fervida infusas, & lac recens cum decuplo aquæ pro victu; radices Apii hinc sunt suspectæ propter acrimoniam; radices Graminis sunt bonæ, si cum multa aquæ copia infundantur; hinc si materies morbifica critice per urinam expellatur, nec tum corpus venæ sectione vel purgatione nec sudoriferis mouebimus, sed adhibeamus præsertim balnea pedum, si æger v. g. per aliquot horas pedes immerserit aquæ tepidæ vel lacti dulci vel ejus sero, vel decocto cuidam emollienti calido, ut ad hæc loca molliora & laxiora reddita, quasi revulsionis species fieri possit, & simul materia illa blanda per poros laxiores & apertiores in corpus deduci, sanguini misceri, cum eo ad pulmones deferri, sic vasa emollire, & humores diluere valeat, nec tamen clysteres emmollientes utpote summi hic usus omittemus, injicimus enim clysmata in intestinum colon, quod suo flexu

vel arcu ambobus renibus accumbit, vel quandoque membrana tenui jungitur, ergo si quoddam emolliens calidum per illud injiciatur, poterit suo calore & vapore humido calido fomenti vel cataplasmatis instar renes emollire, & hæc est ratio cur in in omnibus fere renum morbis clysmata per alvum injecta valde prosunt; simul tamen & cataplasmata emollientia vel linteo decocto emolliente imbuta calida externe regioni lumbari applicabimus, ut hac ratione renes cum suis annexis relaxentur, & materia morbifica, qua data via libere exire queat, dabimus interim, ut naturæ operanti succurramus, decocta e. g. ex radicibus Althææ, Petroselini, Malvæ, Imperatoriæ (hujus ultimæ minori tamen dosi) seminibus Bardanæ, Petroselini in sufficienti aquæ quantitate decoctis, addito colaturæ syrupo Althææ Fernelii, hæc enim levissime abstergendo, diluendo, pellendo & emolliendo diuresin promovent; hæc est methohodus *Hippocratis*, qui dicit, quo vergit materia (si bonam viam insequatur) eo est ducenda si autem videamus naturam in eo occupari ut per loca §. 830. N. 4. sanationem intendat, tunc ei similiter suppetias feremus, nec fluxum nimis cito sistemus, sed illa loca per fomenta sive vapores emollire & laxare conabimur, si ergo v. g. fieret larga narium hæmorrhagia, spongias aqua tepida madidas naribus continuo admovebimus, vel naribus admovebimus ollulam quandam lacte dulci vel ipsius sero calido repletam ut hujus beneficio vapor humidus & calidus naribus continuo attrahatur, sicque resistentia ad illa loca vel tollatur, vel saltem diminuatur, sic & de locis reliquis, puta ute-

ro, vasis hæmorroïdalibus &c. par est habenda ratio.

§. 847. *Corpore robusto.* Vidi ægros fuisse perditos, quia in Peripneumonia fiebat missio sanguinis, ægri qui a Phthisi pulmonali moriuntur, pulmones vomicis plenos habent, sed fere nullum sanguinem, qui tamen per pulmones transire, debet, hinc si in hoc casu sanguis mittatur, æger intra horam moritur, istorum cadavera aperui, in quorum toto corpore non erant duæ sanguinis unciæ, qui hic missionem sanguinis instituere auderet; omnes ægri, qui tali Peripneumonia laborant cum Vomica, habent Pleuritidem, id est, ad latera dolores intolerabiles, quia pulmo lateri accrevit, pulmo patitur anxietatem, plurimi vero ægri habent dolorem, hi sæpe rogant Medicum, ut iis sanguis mittatur, sed si Medicus horum petitioni faveat & sanguinem mittat, sub lanceola Chirurgica moriuntur, hanc ob causam dico in corpore robusto, ne ullus moriatur, non ergo demus cum *Leonardo Botallo* insanire, non est enim Medico permissum, ut hac ratione ægro faveat: si itaque Medicus in principio morbi hoc est tribus primis, quo morbus cepit, diebus vocatus, invenerit hominem valida Peripneumonia laborantem cum præsentibus signis Pathognomicis aliisque hujus morbi vehementibus satis, corpus pariter esse robustum & plethoricum recentem hoc est absque prægresso alio morbo, & paululum ante bene sano corpore, nullaque signa resolutionis adesse animaduerterit, quid ipsi quæso agendum? statim scio, omnes dicent, venæ sectio adhibeatur, nec enim est, quod repugnat: fateor & venæ sectionem primarium totumque inflammationis esse auxilium probe

probe novi at si inflammatio hæreat in arteriis pulmonalibus, quid quæso inde lucri obtinebitur, tota enim venæ sectionis intentio est, ut revulsio & resolutio materiæ inflammantis à parte affecta fiat, quæ certe hic vix sperari valet; inciditur enim ramulus venosus, qui sanguinem ex aorta recipit, aorta vero ex sinistro cordis ventriculo, qui vel jam fere sanguine destituitur, vel saltem copiam non accipit sufficientem; vena enim pulmonalis ex obstructis arteriis vix, nisi tenue quidquam & serosum recipere & per consequens ad sinistrum cor deferre potest; sanguis etiam ex arteria pulmonali in cavum dextri cordis retrogredi vel relabi haud valet, obstant enim tres valvulæ sigmoïdeæ, quomodo ergo hinc revulsio accidet, quod *Bellinus* demonstrat, parvam sanguinis missionem, celeritatem & impetum ejus augere, missio autem ad animi usque deliquium, præterquam, quod vires vitæ ad morbum subigendum summopere requisitæ & cito & nimis prosternantur, etiam reliquum libere adhuc fluentem sanguinem in pulmonibus accumulari & stagnare facit, quod *Aretæus* etiam optime monet, quodque ex animi deliquio, quasi reviviscentibus liquidissime patet, primum enim, quod agunt est, quod quam possunt profundissime respirent, ut sic sanguinem in pulmonibus hærentem rursus propellant, quodque etiam ex eo patet, quod *Aetius* ex *Archine* refert, succedit autem (inquit) lateris dolori, hoc est, Pleuritidi Peripneumonia, quod annimi usque deliquium sanguis detrahitur &c. quid ergo agendum, si enim dimittamus, metus est, ne æger suffocetur, non tamen is sum, qui in hoc statu venæ sectionem remitterem, minime, sed

Medio tutissimus ibis.

Inquit Poëta; ergo ægro in lecto decumbenti ex amplo & lato vulnere sanguinem ex vena quadam mittimus pro viribus & gradu mali majori, minorive copia, usque dum æger levetur; si autem prima missione facta malum non imminutum & vires ægri perstent, nullumque resolutionis signum adsit (eodem vel sequenti die repetatur, at forte quis mihi objiciet) hoc modo juxta dicta statim potius nocebis, vel saltem non multum proderis, quod quidem fateor, sed rogo an Medicus diversis casibus tali modo procedere non cogatur; si v. g. telum tricuspidatum alicui perforaverit pectus, an non Chirurgus, prudens si sit, primo vulnus lanceola vel cultro incisorio dilatabit, ut sic tuto telum per vulnus magis amplum educat, & vulnus sanari commode possit. Primo tamen etiam nocere videtur, pari & nos ratione, quidquid enim sit (molem crassi minuimus & spatium diluentibus lucramur, adeoque ansam resolutionis præbemus) si vires autem nimium debiles venæ sectionem inhibeant cucurbitulæ vesicantia &c. subsistui possunt, vide *Bellinum.* Post venæ sectionem statim adhibenda sunt decocta; emollientia, humectantia, antiphlogistica, & diaphoresin blande promoventia parva copia sæpe repetita valide assumenda v. g. ex radicibus Graminis, Parietariæ, Scorzoneræ, Althææ, foliis Tussilaginis, Malvæ, Althææ, Hyssopi, Mercurialis Tragopogonis, floribus Papaveris erratici, Meliloti, Rosarum, Violarum; Sambuci, Chamomillæ & similibus, ex quibus hæc vel similis paretur formula.

℞. Rad.

℞. Rad. Gramin.
—— Parietariæ
—— Scorzoneræ
—— Althææ ana ℥ij
Fol. Mercurial.
—— Malvæ ana M. j.
Flor. Melilot.
—— Chamomil.
—— Rosarum Rubr. ana p. j.

Conscissa & confracta coquantur
in s. q. Aquæ communis.
per $\frac{1}{4}$ horæ Colaturæ pint ij
adde Nitri puri ʒjß
Rob Baccar. Sambuc. ℥ij
M.

Assumat calide de hoc potu æger
singulis diei horis uncias duas
vel tres.

2. Ex iisdem decocti residuis poterit fieri cataplasma pectori dolenti applicandum & calide servandum, quod externe quemadmodum decoctum interne partes laxat & humores diluit, interim æger quam potest sæpissime balnea vaporis pulmonibus applicet, quod fit haustu vaporis per os, ope infundibuli, aquæ calidæ vel simplicis, vel lacte dulci mixtæ, vel cum herbis & floribus quibusdam emollientibus coctæ; vapor enim ille quam pimum ad partem affectam venire, ibidemque stricta laxare, ergo cito medelæ esse potest.

3. Summum diluens est aqua, & optimum resolvens est Nitrum Crystallizatum, optimum emol-

emolliens est semen Lini, tum Avena & Hordeum, reliqua nimis viscosa sunt, laxantia maxime sumuntur ex herbis emollientibus antiphlogisticis, optimum est Nitrum, tum decoctum ex quinque radicibus aperientibus, Taraxaci recentibus incomparabile censetur, decoctum Cichorei, Endiviæ, Chondrillæ, Sonchi, Lactucæ recentium imprimis conveniunt, anodyna semper addantur, quo facit semen Papaveris, hæc omnia parva copia dentur, ne obruatur pulmo, & calide sorbenda sunt, nam liquida frigide assumpta vasa constringunt, unde in hoc casu ægri morerentur; optima sunt sequentia nempe radices Graminis, Fæniculi, Folia Althææ cum Glycyrrhiza & Melle, v. g.

> ℞. Fol Cichorei Man. j
> Rad. Gramin. recent. effossi ℥ij
> Coq. in f. q. Aquæ ouræ Colat. ℔j
> addatur sub finem coctionis
> Glycyrrhizæ decortic. ℥j

De hoc potu æger tantum bibat quantum vult, hoc enim decoctum prodest vi saponacea. *Baglivius* universaliter commendat decoctum ex radicibus Imperatoriæ & Angelicæ, quod quidem prodest, si sputa jam præcesserint, aut si motus requiratur, sed si laxatio requiratur, obest.

4. Nonnulli clari viri hoc ægre tulerunt, quia in morbis pectoris nocet alvum movisse, sed totus intestinorum tractus est mihi alterum os, nolo purgare, sed volo balneum vaporosum insinuans, sanguinem diluens & vasa laxans corpori conciliari, sed illa purgatio nocet,

quæ liquida ſubducit, & craſſa relinquit, ſed clyſma eſt optimum, quod vaſa laxans liquida non ſubducit, hinc adhibeatur, ut balneum internum ſubminiſtretur, videmus enim ex unciis duodecim talibus injectis vix nnciam unam aut duas redire per alvum, ergo reliquum in corpore abſorbetur, & hac methodo fervidus humorum motus temporatur, & ſanguini inſpiſſato blandum & diluens vehiculum ſubminiſtratur. Hæc clyſmata præparantur ex decoctis foliorum Malvæ, Althææ, Parietariæ, Mercurialis, Brancæ Urſinæ &c. cum ſero lactis vel jure carnium &c. vel cum Melle Mercuriali vel ſyrupo Fernelii cum ſola aqua v. g.

℞. Aquæ puræ & coctæ ℥x
Syrup. Althææ Fernelii ℥iij
M. F. Clyſter blandiſſimus.

5. Hic cautiſſimi eſſe debemus, Peripneumonia jam nota eſt adhuc ſanabilis, ſed fiet inſanabilis, ſi quid chyli craſſi adferatur, hinc nil edat æger, quod eſt craſſeſcens vel viſcoſum, nempe nec carnes, nec ova, nec lac, ſed ſerum lactis recentiſſimum, hinc in hoc caſu victus ſit ſolum decoctum Hordei, Avenæ vel emulſiones vel lac ebutyratum caſeo inde ſeparato &c. victus enim multis haud requiritur, ægri namque facile ferunt ad diem nonum, qui eſt decretorius.

§. 848. Si autem inflammatio fuerit valida & morbus ſatis validus, jam dies tres quatuorve duraverit, nec æger per reſolutionem, nec evacuationem criticam, nec ſanguinis detractionem, neque Pharmaciam atque diætam libe-

liberatus fuerit, sed signa §. 833. &c. data inflammationem in suppurationem transire designent, tum prudentia Medici maxime requiritur, quamvis enim morbus longior futurus, spatium curationi præbebit non tamen ita facile adipisci poterit; fateor si ex inflammatione abscessus bonæ notæ fiat, in locis minus nobilibus, & ubi prudentis Chirurgi manus, vel medicamenta convenientia advenire, abscessus tuto aperiri, pus libere exire, & ulcus commode mundari possunt, per bonum artis auxilium facili marte curatur. At hic in pulmone, parte tam mobili & nobili, tam teneræ structuræ, ubi nec medicamentis, neque manui Chirurgicæ datur accessus, nec pus aggestum facile excerni & educi potest, semper multum discriminis secum fert, quid ergo hoc in casu præstandum? an venæ sectio adhibenda; certe suppuratio commotionem & turbationem humorum per venæ sectionem vel purgantia prohibet, ergo nec illa adhibemus.

2. Ut Chirurgi tumoribus externis in suppurationem tendentibus applicant blanda cum acribus, ut semen Lini, quæ suppurationem promovebunt, sic quoque hoc in casu conveniunt olera emollientia ut atriplex Spinachia, Avena, hordeum, & similia cum jure carnium & sero carnium & sero lactis cocta; hoc repetitis locis *Hippocrates* jubet, vult enim tum blandum chylum ingeri pulmonibus, dabat decoctum piscium aut Cancrorum Fluviatilium, quod non refrigerat, licet multi ita putent, vires tantum auget, vide *Materiam Medicam*.

3. Balnea vaporosa sunt optima, præscribimus emollientia & maturantia v. g. ex lacte cum floribus Sambuci & Calendulæ vel Hyperici,

perici, Malvæ, Bismalvæ, Altææ, seminibus Lini (etsi hæc farinosa non multum prosint; sed tantum adhibeantur ad satisfaciendum æstimationi Medici & opinioni ægri) cujus vapor calidus ope infundibuli in fauces hauriatur, ut sic immediate cum aëre per asperam arteriam ad pulmones deveniat, dabimus victum & medicamenta lenia, sed paululum incrassantia, farinosa, quare & hic emulsiones, gelatinæ &c. coveniunt.

4. Septimo die in inflammatione acuta factum est pus, ille dies fere certus est, si nunc Peripneumonia sit fortis & tu ad diem quintum emollientia maturantia & cibum, quæ nocere non possunt dedisti, septimo die habebis mutatum pulmonem, qui facile crepare potest, tum sputo curantur, si vero nondum ruptum sit, æger plus comedat. sumat vaporem aceti; vinum austerum, & tussim facientia, ut pus in bronchia abeat, hoc fiat oxymelle vini & pulvere sternutatorio, sicut enim Chirurgus in abscessibus externe apponit debilissima, sic *Hippocrates* interne, tum, ad diem septimum facillime rumpitur abscessus, si Chirurgus videat externum apostema à se ipso non ruptum, tum lanceola pertundit, hac etiam ratione Medicus medicamenta tussim promoventia adhibere debet, ut ulcus pertundatur; medicamenta tussim moventia sunt acetum mulsum, acetum squilliticum cum oxymelle, vel vapores ex aceto Sambucino, Rosaceo & Calendulato, adhibitis tamen alternis vicibus pectoralibus demulcentibus & bechicis, nam hæc sola non ita quidem expectorationem faciunt, sed tantum laxant, demulcent, & accdente stimulo expectorationem facilitant, ergo pro stimulo,

lo poteſt eſſe acetum vel ejus vapor, ut hac ratione æger per tuſſim & excretionem ſeptimo aut nono die purgatus ſit.

§. 849. Si abſceſſus factus ſit, cujus ſigna data fient ſequentia, miræ ſuper his & ſimilibus hujus libelli locis à quibuſdam interpretationes & cavillationes factæ ſunt, ſed dices an non ad pleuram? certe eo, ubi rumpitur, empyema fiet, ad pulmones Phthiſis, ad aſperam arteriam ſputo reddetur, ſi jam citius rumpatur, tanto minus de pulmone & ejus functione perditum eſt, hinc nil eſt agendum, vel abſceſſus diſruptio eſt tentanda, quod per modo dicta maxime autem per concuſſionem & cibos multos fiat, ut Chirurgus jubet ad manum apoſtema eſſe aperiendum & pus evacuandum, nam ſi linquatur & non rumpatur, pus collectum hærens acrius tandem factum totum pulmonem exedere & infinita mala producere poterit, ergo ut quo jam factum apoſtema citius rumpatur, eo melius, quo facto ut externe à Chirurgis fit, deducetur & curabitur ad naturam vulneris depurando & evacuando ſive evaneſcere faciendo.

§. 850. Juxta præcepta *Hippocratis* exſpectatur tempus ex dictis, quo pus factum eſt, nempe. 8. 9. 10. ad ſummum quatuordecim dies, tum jubet *Hippocrates*, ut ægro dentur cibi molles, pingues, lenes, donec ventriculus ſit repletus, bibat multum Vini Græci aut alius fortis, edat de piſcibus coctis, aſſatis, ſuffocatis, (Belgice *geſtooft*) vel oleribus, ſuperbibat illud vinum, tunc hauriat vaporem aceti, ut tuſſiat, vel ſimiles concuſſiones cantando &c. quid enim fit? ventriculus plenus pellit diaphragma ſurſum intra pectus, ergo pulmo

comprimitur, si jam paulo concutiatur, spes est, ut rumpatur in cava bronchiorum, non dico, quod hac ratione sanationem promittere possimus, sed diu adhuc supervivent ægri, sic fuit hic una ex splendidissimis hujus urbis persona, quam colligebam fœdo pulmonum ulcere laborare, unde fere suffocaretur, suasi, ut eum deponerent in rhedam (non certe sine calumniis) & per strata veherent plenis concussibus, sed prius repleto ventriculo, ut omnia introrsum premantur, & ut pus tanto liberius in asperam arteriam protruderetur; vix quidquam progressus fuit æger, quin statim magnam copiam puris exspueret, & longo adhuc tempore supervixit; hac ratione Clarissimum Professorem tractavi, qui adhuc vivit optime curatus; si hæc non succedant, nil est agendum; adversarii dicunt, forte apostema non rumpatur extrorsum, sed ego sic dispono, ut hoc necessario accidere debeat, denique dicunt, sic fieri sputum sanguinis lethale, sed tali concussu non rumpetur pulmo adhuc habens tot vitalia vasa tam fortia, citius pars mortua rumpetur, nec rupto pulmone sanguis solus exit, sed totus pulmo ingentibus fistulis decedentibus ejicitur, ergo hæc sunt bona.

§. 851. Si juxta præcepta prioris paragraphi actum sit, ac tum certum apostema esse ruptum, quid est agendum? notetur, quod pulmo sit fistulosum, fungosum viscus; puris apostema est saccus in valde spongioso corpore, nisi præveniatur, pus regenerabitur, & totus pulmo consumptus postea ejicietur, ergo labia ulceris depurabuntur, hinc danda est bona substantia regenerans, sic non redibit pus, sed ulcus coalescet, an vero sunt talia medicamenta,

solum in hoc casu aliquid efficiet victus lacteus, hydrogala constans tribus partibus aquæ & una parte lactis, & quantumvis frigide potetur, parum nocet, tertio vel quarto die optime illud placet, vel comedat lac crudum cum pane, huic pro gustu addi potest quævis de Oryza, Avena, Hordeo &c. vegetabili lenissimo; scilicet animalium pastorum fæno, gramine, nullo carne; cur hic præscribo lac? quia jam transiit per pulmones animalis, sed dicetis lac coagulari in ventriculo, quod verum est, sed serum tamen præterlabitur, non danda sunt putrescentia; si enim Vomica recens rupta fit, nil est metuendum, tum fac, ne chylus putrescens versus pulmonem feratur, adhibe optima detersiva, sed talia, ne cruda ulceris labia in Hæmoptoen concidant; hinc pessime egerunt Medici, qui talia adhibere debere scientes à fortissimis inceperunt, sed primo danda sunt mollissima & sensim fortiora, præscripsi vobis in *Materia Medica*, quæ tuto in hoc morbo Adhibentur, & non solvunt vasa sanguinea: qui hic sola emplastica adhibent, obruunt pulmones, quæ detersiva nimis detergent, omne ulcus quoque non nimis sæpius est detergendum, sed aliquamdiu quiescendum, ut labia ulceris tempus habeant, quo coïre possunt, sed omne ulcus quoque non nimis diu apertum est retinendum, ne acre fiat, si ergo hic pus relinquam, fit nimis acre, si nimis moveatur, nunquam partes suppuratæ coibunt, sed vapore humido pars est emolliendá, per molle decoctum excreatio promovenda, per equitationem expellenda, & novo aëre depuranda, nam solus aër depurat, sed vesperi medicamentum opiatum est dandum, ut inanis ti-

titillatio sedetur, hæc enim nocet, quia pulmones discerpit & dilacerat. Aperientia detersiva sunt optima, quæ sunt herbæ partes tam lenes & penetrantes possidentes, ut per sanguinem eo delatæ per fistulas ruptas pus collectum expellere possint, tales sunt, stipites Dulcamaræ seu Solani scandentis lignosi, si horum libra una contusa decoquatur in quatuor libris aquæ per unam vel alteram horam cum uncia una Glycyrrhizæ, hoc decoctum multum præstat, uti & decocta ex radicibus Bardanæ, Veronicæ majoris, vulgaris Hyperici, Hederæ terrestris, Marrubii albi, Hyssopi, Salsaparillæ, radicibus quinque Aperientium, ligno Sassafras, floribus Centaurii minoris, Agrimoniæ, Betonicæ & similibus, addito Melle vel Glycyrrhiza; tum ex Myrrha, Spermate Ceti, Camphora, ex quibus cum Vitello ovi fiant pilulæ, hæc sunt sola aperientia, quæ novi: vesperi levia Opiata dentur ut v.g. Opium ad granum semis vel syrupus Diacodii ad unciam unam cum aqua Hyssopi & & parva quantitate Aquæ Vitæ Matthioli mixtus, vel fiant ex massa pilularum de Cynoglossa, Corallio rubro & Olibano pilulæ, & vesperi in pauca dosi exhibeantur, nec enim scio, quod noceant, quamvis sint, qui obloquuntur, quique expectorationem impedire credunt, indeque ægrum pure suffocari posse ajunt; quod fateor, si ingenti copia daretur, sed certe hoc à dosi tam exigua, ut grano semis Opii metuere absque ratione puto; si enim æger sufficienter dormiat, nec dabimus: verum si continuo vigilet, somnum capere nequeat, & perpetuo tussiat, ut materiam molestam excreet, certo quam maxime delassabitur, & tandem vires excreationi haud sufficient;

ficient; quo enim plus tussit, eo magis semper mucum naturalem aër in & exeundo abripiet, ergo ut ajunt, tussis tussim faciet, quod hac ratione impedimus, si enim æger tussiendo lassus de nocte placide dormiat, habet, unde vires paululum recuperet, & secernitur denuo mucus vias illas naturaliter inungens, ergo mane evigilans faciliori marte, minori tussi, atque molestia expectorare poterit; pure jam educto vulnerata labia, si possibile, reunienda sunt, ergo curabimus ut æger corpore quiescat, & quantum possibile pulmonibus, dabimus victum blandum cum lenissimis Opiatis; cæterum naturalis nutritio perficiet; sed miremini me hic non commendare balsamum Lucatellæ, quod componitur ex Cera & Terebinthina, balsamum Peruvianum, in quo basis est oleum Ligni Santalini, balsamum Sulphuris Succinati, Anisati, & varios: omnes nocent, tot feci experimenta & semper in his casibus nocuisse animadverti, & pinguia illa indigestibilia prodesse nequeunt, sæpissime olim usus sum iis suasu *Helmontii*, sed omni spe semper frustratus sum. Si Peripneumonia curabilis fit, sanatur hac methodo, non vero curantur omnes, nam aliquando saccus fuit nimis profundus.

§. 852. Si materia deponatur sursum vel deorsum, dandus est statim victus aromaticus, tum vinum album, ut stimulus augeatur, maturantia danda sunt uti & emollientia, ut omnia laxentur, sic determinabitur & dissolvetur materia à pulmone.

Obtinere. Hoc est, si materia Peripneumoniæ mobilis fuerit, & in se non determinet.

Levi fluido &c. Nam cum materia sit in du-

dio, illud sustentat naturam, ergo tota tua prudentia in eo est occupata, ut materia reddatur mobilis.

Quietem. Hoc est arcanum, hac enim ope materia sequenti die cocta & assata redditur, ad quod Diacodiata prosunt, sed si æger tussiat per integram noctem, nil boni est sperandum.

§. 853. Si de dolore aurium conqueratur æger, ille locus cataplasmatibus emollientissimis ex Althææ foliis, seminibus & floribus, addito butyro insulso applicatur, ut materia huc versus alliciatur, natura enim hanc viam affectat; si vero dolor circa hypochondria hæret cataplasmata talia, uti & clysmata similia injiciantur; fortibus & balneis vaporibus eadem ratione determinabo, ad aures etiam spongiæ madefactæ & fomenta perpetuo applicentur, ut alliciantur humores, sublata hic resistentia.

§. 854. Si ad hepar exitura sit materia, tum sanguis prius disponendus est fluidus, advocanda aperientia, saponacea ex recentibus Lactucis, Taraxacis, Endiviis, Fumariis, Gramine, Scabiosa, coctis in sero lactis addito melle vel syrupo quinque radicum aperientium, potissimum autem si harum herbarum succi expressi porrigantur; hæc enim ex longaprisca que observatione visa sunt maxime determinare ad hepar, clysmata laxantia ex iisdem fient, externe balnea fomenta juvant.

§. 855. Superest scirrhosum tuber, quod insanabile est, nam scirrhum alibi vix resolvere possibile est, multo minus in pulmone, si autem spes aliqua sit, aliquid efficient sequentia, si æger per aliquot menses uti velit solo lacte, adddendo subinde parum Saponis Veneti, si tum velit equitare vel rheda vehi, balneis uti, spes una

una est, sensim posse atteri materiam scirrhosam & obstructum resolvi, aliud nil novi, hæc dicta, si parum prosint, tamen nil nocent, sed è contrario multum boni promittunt.

§. 156. Si gangræna facta sit, prævidenda mors, quæ intra paucum tempus orietur, tum dicunt plerumque amici & adstantes, fac quod fieri potest, & juva aliquomodo, hinc Medico in promptu aliquod remedium est habendum, quod non nocet, sed si aliud quidquam prodesse possit, hæc sunt nempe quæ sumuntur ex Myrrha, Oxymelle, Nitro, diluendis in aquis Stillatitiis Rutæ vel Scordii, unde æger assumat omni quadrante horæ cochleare unum, superbibat cuivis Cochleari testulam infusi Scordii vel Veronicæ instar Thee, hæc sunt omnia antisepticа, quæ non nocent, nam sic bonus Chirurgus externe faceret.

§. 857. Si ægri optime spuentis sputum subito supprimatur, tum si illi statim non succuratur, moritur, ut homo aquis submersus.

Prodeat. Id est ut expectoratio excitetur.

Frigus. Subito admisit, vel frigida potavit.

Exsiccatio ingens. Cum modo discessissem ab ægro meo, & ille cardiaca sumpsisset, fere exsiccatus erat.

Febris calida. Quam Medicus avertere non potest, v. g. æger tuus liberaliter spuit, accedit inflammatio non visa, nec videnda sit febris.

Medicamenta calida. Ut Vinum & similia, quæ exsiccant & pessime cedunt, quamvis hic vulgo in usum veniant apud vulgus medicorum.

Sudor ingens liquidissima nempe dissipans, alioquin exsiccans.

§. 858. Oritur hic recens inflammatio, quæ cum suppurationis signis jungitur.

Lethalia. Nam si ce sset expectoratio, æger sæpe perit, sic vidi ægros intra duas horas necatos, qui optime sese habere putabunt.

§. 859. *Vapore.* Hoc est summum, quod facere potest, ille æger in aëre nebuloso hærere debet, hinc incumbat pronus im amplam pelvim aqua calida plenam, unde vaporem in suum pulmonem hauriat; nempe ut Chirurgi crustam externam obturantem spongiis madefactis cadere faciunt, similiter humida calida emollientia cum aëre admittenda sunt.

Usus. Hoc *Hippocrati* debemus, dicit se expectorationem promovere Melle & Aceto, quod sæpius observavi sumpto Oxymelle cum aqua Hordei quovis $\frac{1}{4}$ horæ hausto redibat tussis & sputum; hinc, si usquam conveniat Oxymel, certe hic conveniet, si sumantur duæ unciæ Mellis in aqua dilutæ & potentur, creat mollem tussim, & interne levem stimulum, unde nova expectoratio exspectanda est.

Medicamenta. Optimum hic inveni Nitrum Antimoniatum factum ex Sulphure Antimonii & Nitro alcalisato cum decocto Hordei, est blandum suppurans, aperiens & emolliens, præsertim si cum mellitis & saponaceis uniatur, & cum iis, quæ tussim faciunt. Opiata, id est, omnem motum sedantia sunt optima, præsertim ut sudor evitetur, nam post sudorem (pulmo plerumque raucus & constrictus, ut sputum transire nequeat) hinc audeo syrupum Diacodii ad unciam unam & semis vel syrupum Papaveris Rhaeados ad eandem quantitatem

rem & Opium ad granum unum, ut constrictio in pulmonibus tollatur. Decoctum florum Althææ, Verbasci, Papaveris Rhæados, Hyperici, Jujubarum, Uvarum passarum &c. cum Melle, optima sunt ex quæ pectorantia, non vero calida calefacientia, quæ potius exsiccant plerumque pessimo cum successu adhibentur; *Hippocrates* addit Acetum ad levem tussim excitandam. Quies maxime est concilianda, aliter incassum laboratur, homo enim sanissimus conturbatus sentit gravem pulmonem, quod fieri vidimus ex accumulatione sanguinis in pulmone, & non satis cito transitu, hinc animi perturbationes sunt cavendæ; hæc sunt, quæ ex solo *Hippocrate*, ejusque egregiis commentatoribus & Anatome sciuntur de Peripneumonia, hinc ejus causa lethalis cognoscitur, ex his dictis vidimus, quam varius sit hujus morbi decursus, uno tamen Peripneumoniæ titulo ubique & semper notus, quamque fallantur illi, qui huic semper nomini insistentes eum per totum detractum una eademque methodo, unis iisdemque remediis curare satagunt, cum viderimus ex singulo exitu singularem oriri indicationem curativam unamque alteri maxime repugnare, ut id, quod in principio proficuum, in fine noxium sit, & quod rursus principio prosit, medio noceat.



Peripneumonia Notha.

§. 860. De Peripneumonia pauci scripserunt, à solo *Sydenhamo* fere distincte cognita est, ab aliis titulo catarrhi explicata habetur. A fri-

gore seu Hyberno tempore corpus humanum & pinguedine & pituita est oppressum, tempore Æstivo & Verno calor accedit, tunc oritur subito humorum solutio, quæ miscetur venis & ad cor dextrum pulmonesque defertur, hinc pulmo obruitur non inflammatorio, sed frigido pituitoso sanguine, hinc Peripneumonia semper oritur post magnum frigus Vernali tempore.

Calor resolvit pinguedinem, quæ dein sanguini affusa & ruens in pulmonem sistitur in arteriæ pulmonalis ramulis, hinc nascitur illa causa Peripneumoniæ ex humoribus aggestis per Hyemem intra corpus & deinde in sanguinem affusis.

Infarciente. Ut non animadvertatur, nam homines paululum anhelare incipiunt.

In pessimum. Quod solus *Sydenhamus* animadvertit, quem si non legissem, nescivissem, unde hic mors oriretur, quo plurima hominum pars laborat, pituita oritur circa membranam cellulosam & alibi, ibi accumulatur, & hærens producit torporem, pigritiam, ægri sentiunt se torpidiores solito, tum oritur stimulus, oppressio ad pectus, lenta tussis, vel anhelitus ad minimum.

§. 861. Illa pituita augetur & in corpore & præsertim in pulmone retinetur, quia obstructionis vitia ubique jam nata sunt, unde pejor oritur morbus; hinc si addatur consideratio Peripneumoniæ lentæ malum est curatu difficillimum, quibusdam sanguis adhuc lente circulatur, sed si causa paulo magis movens vel pulmonem constringens accedat, fit Peripneumonia solum ab infarctu, hinc à præcedenti est distinguenda.

§. 862.

§. 862. *Nocet.* Nam pituita venit à ſanguine debilitato, ſtatim cognoſcitur, ſi ab educto pauco ſanguine malum augeatur, nam omnis cibus, omnis chylus & potus, quo homo utitur, eſt ſanguine ſpecifice levior, ſed Phthiſicorum eſt ponderoſior aqua, lacte & proprio chylo, hinc in omnibus morbis, ubi morbus ex ſanguine compacto originem ducit, venæ ſectio minuit cauſam impingentem, & auget cauſam, quæ ſanguinem rarefacit, ergo nocet in hoc caſu; hinc ſi ſubducatur ſanguis ruber, coctio illius materiæ pituitoſæ impeditur, vide *Sydenhamum*. Materia pituitoſa ſeu pinguedinoſa mucoſa viſcera debilitat.

§. 863 Omnes homines tali Peripneumonia Notha laborare incipientes dicunt ſe refrigeratos eſſe, & ad ſpiritum Vini cum Saccharo, ad Vinum Hiſpanicum &c. refugiunt, ſed puto hunc morbum à perverſa medicina ſæpe lethalem fieri potius tincturis, ſpiritibus ſtillatitiis, quam per ipſum morbum, nam ſanguis eſt talis, ut vix per vaſa pulmonum ire poſſit, vires adeo ſunt fractæ, ut ſe vix movere poſſint, ſed ſi viæ non expeditæ & humores non meabiles ſint, tum fit ex Peripneumonia Notha Peripneumonia Vera. Hinc ſi dentur Theriaca Andromachi, Diateſſeron, Diaſcordium, Spiritus Vitæ Mathioli, Spiritus Salis Ammoniaci, Volatilis oleoſi & ſimilia fortia medicamenta, tum ſanguis propellitur ad cor & pulmones, & moles augetur in vaſa obſtructa, hinc arteriæ tumefactæ venas comprimunt, & ægri moriuntur, in eorum cadavere aperto inventus eſt ſanguis intra cor dextrum & fines arteriæ pulmonalis hærens; nullus eſt morbus, unde plures moriuntur ægri.

§. 864. Si senex aliusve pituitosus multum currat, aut valide clamet, & cantet, incidit in hunc morbum, aut post ebrietatem, aut à vino caustico Saccharato, quod Septentrionales putant bonum esse remedium in febre Peripneumonica; hinc sæpe adhibentur in iis, quibus lentor est sanguine, sed inde plerumque moriuntur juxta *Sydenhamum*. Commessatio sæpe in causa est, nam in conviviis semper apponuntur cibi difficilis coctionis (nam levia ibi vix applausum habent) ut Lepores, Phasani, Cuniculi cum butyro assati, jura carnium meracissima, his vinum admisceri solet, tum comeditur lagena ex ovis & farinosis non fermentatis, unde sæpe hæc Peripneumonia oritur; pituitosis ad hanc Peripneumoniam dispositis nil periculosius est, quam si ex camera hypocausto calefacta in aërem frigidum veniunt, tum vasis obstructis & pituita accumulata ad nares coryzam, gravedinem vel ad pulmonis bronchia vel ad pulmones inferiores Peripneumoniam Notham accipiunt

§. 865. *Nec opinantes*. Hic homo se pinguiorem & ad motum minus aptum dicit.

Caloris. Nam materia inflammatoria ibi non est, sed tandem saburra interna pulmo suffocatur, & hinc in hoc morbo concipiendum est, quod lentissimum malum influit & sensim obrepit, tandem obruit; mortemque inducit inopinatam.

Febris. Nam non est inflammatio nec acrimonia, sed tantum pulmonum oppletio non à materia labente, sed extendente & capacitatem vasorum minuente & gravante.

Mors. De quo nil certi credebatur, nam nec in urina erat signum mutatorum humorum,

nae

nec in pulsu erat præsagium, nullus est morbus, ubi Medici, qui non periti sunt, magis falluntur, credunt enim ibi subesse aliquid maligni, cum tantum fit pulmonum oneratio, quo enim pulmo est levior & rarior, eo celerius sanguis per pulmones ibit quo pulmo plus accipit in arteriis & minus dimittit in venas, eo gravior est, sed quo vasa sanguinea graviora & magis impleta, eo magis vasis vasa aërea depleta sunt, hinc inspiratio prohibetur.

§ 866. Curatur hic morbus sequenti methodo.

1. Dixi paulo ante venæ sectionem nocere, nec diffiteor, sed tantum una vice est instituenda, ut humores minus urgeantur, & ut pulmonum infarctio minori pressione tepore ipsius pulmonis resolvi possit, dixi enim, quod tempus, tepor, & quies sæpe resolvant id, quod coagulari inceperat, sed non tanta venæ sectio est instituenda, ut in inflammatoria diathesi, sed tantum ad vitam protrahendam, licet morbi causa augeatur.

2. Clysmata sunt optima, ut intestina fiant laxissima & avertant molem sanguinis arteriosi & venosi à pulmone in se, scopus ibi tantum esse debet, ut nimis subita pulmonis infarctio præoccupetur; hinc clysmata eluentia ibi adsunt optima sed non purgantia, unde fiunt balnea perpetuo laxantia & diluentia, hæc tamdiu repetantur, donec signa adsint pulmones levari, nempe si æger plus aëris quam ante capiat, si pulsus durus & major, si hæc duo signa adsint pulmo fit melior.

2. Hic non utimur mere inspissantibus, inertibus frigefacientibus mucosis sed jure carnium

 cum

cum levi acido, adhibeatur potus tenuis ex aqua & melle, quia hic sæpe optime diluit. Mel magna aquæ copia dilutum pituitam optime fundit.

4. Solum decoctum Dulcamaræ seu Solani scandentis hic est primarium, nam constat tam subtilibus partibus, quales fere in ullo alio vegetabili, non adeo acribus, quam quidem resolventibus, tum decoctum Santalorum trium, Saffafras, radicum Graminis maxime Canini repentis longius radicati, Fæniculi, Polypodii, Petrofelini, Eryngii, Asparagi, Ireos Florentinæ, Imperatoriæ, Rusci, Consolidæ majoris, Chinæ, herbarum Althææ, Parietariæ, Pulmonariæ, Capillorum Veneris, Malvæ, Tussilaginis, Cynoglossæ, Agrimoniæ, Scabiosæ, Hyssopi, Verbasci, florum Meliloti, Althææ, Sambuci, Hyperici, Chamæmelini, Papaveris Rhæados; seminis Lini, Papaveris albi, Fænugræci, Bardanæ, Fæniculi, Petrofelini; fructus omnes fere horæi maturi, Amygdalæ Dulces, Baccæ Juniperi, Mel, Mel Rosarum, Manna, syrupus Papaveris Rhaeados, Althææ Fernelii, Violarum, Diacodii; Capillorum Veneris; oleum Olivarum, Amygdalarum Dulcium; aquæ Hyssopi, Cardui Benedicti, Fæniculi; hæc omnia sunt optima; nam in his sunt tenues volatiles, moventes non acres partes, fortia non adeo commendare audeo, sed hæc lenia tutissima sunt; summum & lenissimum aperiens est syrupus quinque Radicum aperientium, balnea nunquam plusquam hic conveniunt; & plerumque summum curationis faciunt.

Vesicantia. Ad phlegmatis phlegmonodes dissolutionem vobis commendare non potui epispastica, quæ sanguinem dividendo agunt, licet

licet ille mos in Gallia & Britannia obtinuerit, non enim vidi successum, quem hi viri jactitabant, sed in illa Peripneumonia, ubi humores sunt inertes, & non in putrefactionem tendunt, sed in gluten amylaceum iners, & ubi vasa sunt laxa, ibi vesicantia mirifice juvant, in tali Apoplexia, in tali Paraplegia, in tali Hemiplegia, in tali Paralysi, in omnibus morbis soporosis, & lethargicis conveniunt; hæc vesicantia non sunt adhibenda, nisi præmissa venæ sectione & dilutione, ergo adhibenda sunt, quando sanguis fluere incipit. Vesicantia larga esse debent, quæ fere palmam manus quadratæ occupant, hæc interius applicantur ad femora supra genu; non dubito, quin multi vestrum sint cogitaturi, quomodo methodus refrigerans & laxans in omni morbo formatur, ubi nescitur, quid sit causa refrigerii & laxitatis? causa remota hic non consideratur, sed proxima, à qua mors oritur, si ergo hic attenuantia & roborantia adhibeantur, æger morietur, si per evacuationem, tum vires deficerent; hæc est sola methodus gravedines, coryzas, refrigeria, catarrhos & tusses &c. curandi, quando tussis infestat, dato Saccharo & Glycyrrhiza &c. commode tolluntur, sed gravedo quatenus vasa infarcit, non alia methodo tollitur.

§. 867. Quædam interrogata ab *Hiprocrate* circa hæc pleraque proposita enodantur.

Cur pueris? Quia hic sanguis est tam rarus & tantum ab inflammatoria diathesi distat, ut metus non sit.

Rarior? Quia magna laxitas est in vasis, & minor inflammatoria diathesis in liquidis, nam inflammatio maxime oritur à strictis vasis & sanguine compacto, ut materia suscepta hic tran-

fit ob laxitatem, & vires in folidis minores funt non adeo fanguinem compingentes.

Laxa &c. Dicit *Hippocrates*, quod illi, qui acidum eructant, raro Pleuritici, raro Pneumonici fiant, hi enim habent debiles fibras & minus compactum fanguinem.

Sanetur. Omnes concretiones fanguinis facillime refolvuntur, fi illæ inflammatoriæ non coriaceæ, fanguis pituitofus, mucofus, phlegmaticus aqua diffolvitur, fed fanguis ex brachio Pleuritici exceptus coriaceus factus non refolvitur, fed ita manet, at quia pueris ac mulieribus coriacea indoles non eft, hinc facile refolvitur, fi modo paululum materia mitificetur.

Contra robuftis &c.? Mufculofi multum virium habent, hoc oritur à fanguine compacto vifcido & vafis rigidis conftrictis; omnibus exercitatis curforibus, rufticis fanguis eft compactus, concretus diathefi inflammatoria, vifcidus, vafa ftrictiffima, vix dilatanda, hinc fi illi Vera Peripneumonia laborent, non eft magna fpes humores tranfmittendi, nam vafa non tranfmittunt, nec humores bene refolvuntur.

Peripneumonia. Dubitavi, an ullus homo moriatur, nifi per Peripneumoniam, nam omnes moribundi hoc morbo laborant, unde moritur æger febre Ardente laborans? quando ita anhelat, ut animam ducere non poffit, pectus miferrime moveatur & fic fuffocetur, hinc vix à morbo interno moritur æger, nifi à Peripneumonia, fi pulmonum vafa adhuc tranfeat, per reliqua etiam tranfibit, hinc Peripneumonia eft omnium lethalium morborum, ultima tragædia, hoc patet ex ultima morientis actio-

actione, quæ anhelatio, motus ſcapularum & elaviculum elevato, abdomine ſurſum preſſo; hic morbus per $\frac{1}{4}$ horæ ante mortem fere ſemper oritur; tum ſanguis à corde dextro expulſus per pulmonis anguſtias tranſire nequit. Iſtos morbos chronicos, ubi evacuatio, id eſt, ſpirituum defectus adeſt, excipio in omnibus agoniſmis.



Pleuritis.

§. 868. Pleuritis vox, uti multa ex ſchola Medicorum nomina, à Græcis originem ducens derivatur à πλευρὸν Latinis *latus*, vel à voce πλευρα, quæ veteribus dicebatur membrana, quæ coſtas intus ſuccingit; (quo nomine hodie adhuc ab Anatomicis indigitatur) quoniam hæc membrana pleura totum thoracem intus circumveſtit, & patiens Pleuriticum dolorem plerumque in latere ſentire ſolet, ſicque à corporis parte, qua magis patitur, hic morbus nomen ſumpſit; *Telum* etiam apud quoſdam vocatur, quia teli inſtar membranam pungit. *Latiniſſimus Celſus* non dixit morbum Pleuriticum, ſed morbum lateralem, hinc quando dicitur Pleuritis, non eſt credibile eſſe inflammationem pleuræ, ſed inflammationem laterum; error enim natus eſt ex eo, quod in elementis Anatomicis pleura pro tunica accipiatur; definitur vulgo hic morbus a Medicis, quod ſit inflammatio membranæ coſtas intus ſuccingentis; verum cum hæc definitio non perpetuò conſtans obſervatur in legitima Pleuritide, igitur

tur melius erit ſigna & phænomena (quæ hunc morbum indicant & ejus eſſentiam circumſcribunt) conſiderare & per hæcce quaſi morbum definire; cognoſcitur itaque facile, ſi adſit febris Acuta, aliter non eſt Pleuritis, ſed etiam non eſt, ſi adſit dolor lateris ſine febre præcedente, nam in fæminarum morbis & in Phthiſicis brevi morituris oriuntur dolores, qui non ab inflammatione, ſed à ſtrictura vel dilaceratione fiunt, ergo febris ſemper adeſt, antequam Pleuritis fiat: nam hæc febris ſic latere poteſt, licet non appareat, æger enim tam acriter dolet, ut occidi potius quam dolorem ferre petat, tum totum pectus tenet immotum, & in pulmonum anguſtiis ſanguinem intercipit, unde æger Peripneumonicus moritur; hinc multi Medici putant, in ſæviſſima Pleuritide non eſſe Pleuritidem, ſed ſi ſanguis mittatur, ut plus reſpirare poſſint, tum pulſus accuratiſſimus deprehendetur, febre Acuta diſtinguitur ab omni alio morbo inflammatorio pleuram occupante ut & ſpaſmodica paſſio, podagra &c. in definitione porro occurrit, quod ſit *dolor lateris punctorius*, qui aliquando utrumque latus afficit, & oritur à ſanguine membranam pleuram muſculoſque intercoſtales acrimonia ſua vellicante, diſtendente, diſrumpente in parte valde ſenſibili, minorque dolor iſte obſervatur in exſpiratione & animæ retentione quam in inſpiratione, & major vel minor exiſtit prout major vel minor aëris copia una vice admittitur, membrana ſenſu exquiſitiſſima prædita magis vel minus extenditur, &c. ac dolorifica ſenſatione afficitur; hinc ille dolor eſt tam magnus, quaſi aciculis pectus interne pertunderetur, imprimis ſi ægri animam ducant & thoracem di-

dilatent, hinc patet maxime hærere in musculis intercostalibus, qui tum contracti costas in se mutuo trahunt, sed pleura non distrahitur, si animam retineant ægri, levantur, sed si respiratio fiat ope abdominis, minuitur dolor, sed ope thoracis augetur; adest summa respirandi difficultas, quæ ordinario celer, frequens & parva observatur; illa difficultas originem ducit à pleura ob inflammationem cedere nesciente, unde pulmones libere extendi nequeunt, nec sufficiens aëris quantitas admitti, unde continuo hanc membranam inflammatam feriunt; oritur quoque, quia omnes musculi inflammationi inservientes debite officio suo fungi non possunt. Pulsus adest durus propter nimiam crispaturam partium membranosarum, non tantum durus, sed etiam fortis & celer ob febris præsentiam; observavit tamen sæpius *Baglivius* in Pleuritide pulsum intermittentem & quidem sine periculo, non obstante tamen hoc pulsu bis, terve venæ sectionem celebrari imperavit. Tussis plerumque perpetuo adest, quæ tamen in omni Pleuritide non observatur, nempe levior existit morbus, ea autem oritur, quia pulmones munere suo libere fungi nequeunt propter membranæ inflammationem, sicque irritantur; mirum est, quod Clarissimi Viri dicant, tussim ad Pleuritidem non requiri sed in Pleuritide Peripneumoniam, si non adsit tussis, fieri, sed si adsit, tum fit concussus, hinc unico ictu in Peripneumoniam incidunt ægri, sed in Pleuritide tussis est fere perpetua, ab initio sicca, quæ mox humida evadit, ac ex loco affecto sputa flavedine tincta postea sæpissime sanguine colorata, dein matura inflammatione purulenta observantur.

§. 869.

§. 869. Duplex est Pleuritis humida & sicca, humida facile curatur; sicca fere mortem minatur, hinc hæ duæ sunt distinguendæ; humida habet sputa symptomatica ex pulmone nempe motu valido, à loco inflammato educuntur sputa crassa, viscida crocea cum strigmentis sanguineis; sicca est, ubi hæc absunt, si scilicet sputum tenue, tunc est Pleuritis sicca, nam non ex pulmone, sed ex faucibus excreatur, quod signum est materiam inflammatoriam non expectorari.

§. 870. Veteres nos docuerunt Pleuritides esse duplices, primo exquisitam, quam dicebant habere sedem in pleura, sed vox πλευρὸν significat latus, hinc crediderunt veteres Pleuritidem sedem habere in pleura, cum tamen *Celsus* vocaverit Pleuritidem dolorem laterum; Pleuritidem laterum vocabant, quando non erat inflammatio in pleura; verum jam hæc aliter est distinguenda, nempe in eo tantum, quod Pleuritis Vera hæreat versus interiora, ita ut, si suppuratio fit, cedat pus in thoracem, Pleuritis vero Notha fit, quando inflammatio fit supra costas non infra & per apostema exterius liberari potest. Nec credo fere unquam, quod Vera Pleuritis sit in membrana pleuræ, quia tantus fit dolor in respiratione, quod denotat inflammationem esse in musculis intercostalibus; ergo liquet, quod arteriarum intercostalium ad musculos intercostales vadentium inflammatio fit vera Pleuritidis causa, Pleuritis etiam ubique fieri potest, quo tendunt arteriæ, illæ imo & intra sternum, ubi pus quandoque colligitur post Pleuritidem ibi loci & intra mediastinum atque pericardium, vide *Aurelium Severinum*, verbo dixerim, Pleuritis fieri potest in

in omnibus thoracis partibus usque ad scapulas, & quandoque sumitur pro Nephritide, tum falluntur Medici; hinc præter diaphragma, ubique mutat nomen, & omnia hæc loca sunt subjecta Pleuritidi, ergo suspectum habere debemus morbum, statim atque febris Acuta est sequitur dolor maximus punctorius circa hasce partes præsertim in inspiratione. Ergo Pleuritis ubique esse potest, sed acutissima sub scapula; potest esse tam ad anteriora, quam ad posteriora & latera, non semper in sinistro tantum hæret latere, sed tamen plerumque, quia arteriæ intercostales ibi minutissimæ fieri incipiunt: Aretæus Statuit ex apertis cadaveribus Pleuritide denatis, non modo semper pleuram inflammari, sive in latere sinistro, sive in dextro sive etiam diversis aliis in locis; uti in anteriori & posteriori parte thoracis, sed imprimis intercostales musculos hoc malo corripi; quoniam Medici hujus mali sedem tam variam invenerunt, in cadaveribus eorum, qui Pleuritide fuerunt exstincti, non mirum est, quod tam discrepantes, & tam variæ apud Medicos circa hujus morbi sedem & originem foveantur sententiæ. Nonnulli enim, ut *Diemerbroekius*, *Platerus*, aliique testantur se vidisse in quibusdam Pleuritide extinctis, pleuram solam affectam & syderatam, integro pulmone. Alii è contra dicunt, ubi pulmonem affectum viderunt, illæsa & penitus intacta pleura, inter quos *Riverius* &c. alii iterum, uti *Riolanus* & alii, pleuram una cum pulmone affectam vidisse asserunt; hocque malo laborantes vocaverunt Pleuripneumonicos. Præterea *Willisius* dicit se vidisse, quod musculi intercostales hoc malo obsessi fuerint; putat quoque idem

ille

ille Auctor, Pleuritidem & Peripneumoniam esse affectus modo singulares & separatos, modo connatos & primitus coëxistentes, modo sibi invicem succedentes. Plura si quis exoptet circa varias Auctorum sententias de hoc morbo & ejus sede videat *egregium Bonetum in Anatomia Practica*, ubi plurimæ observationes diversorum fide dignorum Auctorum allegantur & describuntur, quinam vero locus prius afficiatur Pleuritide, antequam transeat in Peripneumoniam, operæ pretium erit paucis perpendere. Quod ad me attinet, in ea sum sententia, hunc morbum raro oriri ab inflammatione pleuræ, sed potius à musculorum intercostalium inflammatione; quod admodum probabile esse, & omnium maxime ratione consentire videtur; nam evidentissime liquet, ægrum majorem dolorem percipere in inspiratione, dum musculi intercostales agunt, & costæ propius ad se invicem adducuntur; in expectoratione vero, dum costæ iterum à se invicem secedunt, & membrana pleura magis extenditur, æger minus dolet; porro quod clari Auctores in modo laudato *Boneti Sepulchreto Anatomico* testantur se plerumque vidisse pulmones affectos illæsa pleura, id quoque militat pro nostra sententia, etenim illud clare demonstrat, Pleuritidem prius hæsisse in locis intercostalibus, nam dum inflamatio hæret in interstitiis costarum, tunc æger in inspiratione tantum fere doloris patitur, quantum Podagricus, qui pedem Podagrice inflammatum vult movere; ut igitur aliquantulum levaminis percipiat æger, inhibet respirationem, quantum potest, sic sanguinea massa (partim increscente febre) alteriorem diathesin ab inflammatione

in

inducit, partim ab animæ retentione, præ enormi dolore, non propellitur ſanguis, uti antea per pulmones: exinde à nimia mole ſanguinis in pulmone aggeſto, veſiculæ pulmonales, uti & vaſa per interſtititia harum veſicularum decurrentia comprimuntur; hinc nobilis illa, & ad vitam valde neceſſaria reſpirationis actio aboletur, & illi homines prius exſtinguuntur à pulmonum ſuffocatione quam ſatis temporis habent, ut inflammatio ad Pleuram perveniat, ex hiſce merito concludere licet hujuſmodi focum præexſtitiſſe in intercoſtalibus muſculis, antequam pergeret ad alias thoracis partes; & porro non eſt dubitandum hunc morbum fuiſſe Pleuritidem, cum ſtatim allegati auctores omnia ſymptomata & ſigna, quæ Pleuritidem vulgo concomitantur, accurate in his de Pleuritide obſervationibus deſcribant; ſed cur nullam mentionem faciunt de muſculorum intercoſtalium inflammatione? hoc inde oriri opinor; quod hi viri ſuam doctrinam firmarent & ſtabilirent & contra alios Medicos, qui raro pulmonem, ſed pleuram plerumque affici docebant; hinc ſuæ ſententiæ acquieſcentes forſitan in hujus mali originem non ulterius inquiſiverunt.

§. 871. Muſculi in his caſibus ſemper laborare videntur, hinc in cadaveribus Pleuritide exſtinctis raro pleura inflammata invenitur, ſed muſculi intercoſtales; in hoc morbo æger habet acutiſſimum dolorem dum inſpirat, ſed dum inſpirat, pleura minus tenditur, quam dum exſpirat, ſi ergo in pleura eſſet, tum dolor deberet eſſe maximus, quando nimis trahitur, hoc vero non fit in inſpiratione, ſed omnis pars inflammata, ſi moveatur, dolet uſ-

que

que ad mortem; ex his duobus argumentis patet rem esse veram, vide *Eustachium in Tractatu de vena azugos*, ubi dicit se vidisse, quod arteriæ intercostales essent in pleuram distributæ in periosteum costarum; in musculos intercostales, in pinguedinem thoraci incumbentem, & ex pinguedine in cutim, hinc est Pleuritis Vera, quæ hæret in musculis intercostalibus internis & externis vel in membrana pleura costarum periosteo; Spuria si partes intercostalibus musculis superiores (quæ scilicet decumbunt convexæ parti costarum) sunt correptæ.

§. 872. Hic morbus plerumque invadit adultos, vix infantes aut sene laute viventes, exercitatos eos, qui acidum spirant aut eructant, raro notante *Hippocrate in Aphorismis*, quia habent vasa debilia & sanguinem tenuem, hinc non tam obnoxii sunt Pleuritidi; quod notamus contra *Helmontium*, qui Pleuritidem à nimio acido sanguine permisto originem ducere vult, sed raro infantes Pleuritide afficiuntur, & quando hoc evenit, vix cognosci potest, nisi attendamus ad signa Diagnostica, quæ sunt primo Epidemia causæ prægressæ, secundo, quando videmus puerum vix respirare posse maxime pectus contrahere & febre Acuta laborare; hic morbus frequens est iis, qui habent diathesin inflammatoriam succedente æstu post magnum frigus.

Verno tempore. In acerrimo gelu totum corpus est contractum, & compacti sunt humores, si nunc corpus dispositum sit ad inflammationem, & vasa relaxentur, tum oritur error loci, non puto tamen inflammationem semper oriri ex errore loci, hoc enim docet suppuratio, quæ subsequitur. Tempore Hyberno homines coguntur se multum movere ad frigus evitandum

dum, & tunc aliquando accipiunt intra pulmonem aërem tam frigidum, ut statim oriatur Pleuritis.

Idiopathica. Pleuritis sæviſſima oritur, quando v. g. aliquis in acerrimo gelu ambulans calefcit, & ilico friget, ſed hæc non eſt Epidemica, verum Epidemica eſt, ubi à prava aëris conſtitutione, tanquam à cauſa communi, in multos ſimul debacchatur, vide *Sydenhamum*; denique periodica Pleuritis obſervata fuit, uti *Verzacha in Obſervationibus Medicinalibus* teſtatur ſe vidiſſe in ſacerdote quodam 30. annorum, qui ſingulis annis Verno tempore in Pleuritidem incidebat, à quo quinquies liberabatur, tandem cum ſexta vice idem morbus rediret æger è medio ſublatus eſt. Præterea eſt levis ſive benigna, ſi gradus inflammationis non eſt magnus, nec ſymptomata magna velocitate & periculo decurrunt; hinc ſalutari naturæ actione reſolvitur; vel mediante majori agitatione ſeu certamine naturæ cum morbo, ſuppuratur locus inflammatus, & larga excretione materiæ morboſæ per alvum, urinarias vias, vel per alia huic evacuationi dicata loca expurgatur, & æger liberatur à morbo; vel eſt periculoſiſſima & ægris plerumque exitialis, ubi febris, dolor lateris &c. ſumma cum vehementia increſcunt, ita ut ſymptomata natura potentiora obſerventur; unde reſpirationis utiliſſima actio (per quam ſanguinis trajectus per pulmones promoveri debet) impeditur: & hinc pulmo craſſo & inflammatorio ſanguine opprimitur, ac brevi ſuffocatur æger, vel à validiori motu ſanguinis & attritu ſtrangulatur, ita ut omnis ſentiendi facultas exſtinguatur, & patiens gangræna pereat.

§. 873. Pleuritis Symptomatica eſt, ſi ex morbo prægreſſo, materies critica vel ſanguis ex fe-

bre Ardente valde æſtuans, tranſeat ad loca intercoſtalia, qui ſanguis vel materies ibidem ſtagnans inflammationem producit. Pleuritis Idiopathica certa methodo tollitur, ſed Symptomatica requirit aliam methodum, porro eſt Pleuritis complicata, quando alii morbi concomitantur.

§. 874. Proxima cauſa Pleuritidis eſt inflammatio locorum intercoſtalium, vel pleuræ &c. quæ haſce partes obſidens vehementia illa ſymptomata producit: cauſæ igitur, quæ hanc inflammationem producunt, ſunt plurimæ; ſed hos iterum commode in duas claſſes diſtribuamus, uti in internas, quas tres; & externas, quas multiplices & varias ſtatuimus. Prima cauſa interna eſt, cum ſanguis peccat quantitate ſcilicet ratione plethoræ, quia tunc vaſa ultra modum ita diſtenduntur, ut vim ſuam elaſticam & contractilem penitus amittant; ſi vero vaſa ſe reſtituere nequeant, tum facile fit obſtructio; hinc illi homines propter ſuam plethoricam diatheſin admodum proclives ſunt ad morbos Acutos. Secunda cauſa eſt, ſi ſanguis peccat qualitate, nempe ſi certam & requiſitam fluiditatem & conſiſtentiam non habet, ut per vaſa ſanguinea minima tranſire nequeat, hoc eſt, ſi nimis craſſus & lentus ſit, vel cacochymica quadam & inflammatoria diatheſi inſtructus; tertia ſive ultima cauſa interna fit vitio vaſorum, id eſt, ſi vaſa à tumore vel à vi quadam externa ita comprimantur, criſpentur, vel corrugentur, ut ſanguinis globulus ruber per ejus capacitatem transfluere nequeat; vel ſi eorum robur & intentio nimia ſit; tunc enim debitum inter fluida & ſolida æquilibrium mutatur; nam quo fortior eſt vis & contractilitas vaſorum, eo magis coërcetur, & compingitur ſanguis, eoque pro-

pronior erit homo ad alcalescentiam seu diathesin inflammatoriam, è contra, quo vasorum & viscerum tonus & elater laxior est, eo minus Acutis morbis obnoxius erit, sed omnes illi potius in Chronicos morbos incidunt; hinc illi, qui semper alvum laxam habent rarissime Pleuritide vel Peripneumonia capiuntur, & illi, quibus primæ viæ acido scatent, idemque eructant teste *Hippocrate* in Aphorismis.

2. *Natura ægri.* Homo, qui semel Pleuritide laboravit, sæpius laborabit, habet enim pulmonem interno thoraci accretum, quod inde factum fuit, quia dum Pleuritis erat, perspirabile illud exhalans desiit, cujus beneficio lubricabantur, ac in perpetuo tepore, & madore tenebantur convexitas pulmonum, & thoracis concavitas; si nunc ille tantum patiatur, ac alter homo hoc malum nunquam antea habens, facile patietur.

Non immerito inter causas externas recensentur mutationes temporum anni, & in ipsis temporibus subitæ mutationes aut frigoris aut caloris. Sic Hyemali tempore, dum acerrimi & gelidissimi boreales venti nos adflant, sæpe incidunt homines in sævissimas Pleuritides; nam vasa sanguinea & his multo minora, uti serosa, lymphatica &c. ab acri frigore constringuntur & humores inspissantur; hinc sanguis & decrescentium humorum motus per sua vasa intercipitur; quod eo citius contingit, dum homines à quocunque violentiori exercitio corporis, vel à quacunque alia causa valde æstuantes, sese tali gelido aëri, denudato pectore exponunt; hunc morbum Hyemali tempore magis grassari, quam alio anni tempore patet ex *Hippocrate*, ubi dicit, Hyeme vero Pleuritides,

Peripneumoniæ, Lethargi, Gravedines, Raucedines, Tusses, dolores pectorum & laterum & lumborum &c. sic quoque si Verno tempore post summum frigus subito obortus fuit ingens calor, tunc quoque observamus, homines facillime in morbos laterales incidere; quoniam à subitaneo calore sanguis noster (qui præ frigore quasi constrictus erat) plus justo expanditur & movetur, hinc facile transit in vasa secundi generis, & sic errorem loci producit; cum in vasis alienis stagnat, ab insequenti sanguine a tergo magis impingitur & infarcitur, unde ista vasa, partim à subito oborto calore flaccidiora reddita, partim à sanguine effluente plus justo dilatata suam vim contractilem penitus amittunt; interim à continuo appulsu & sanguinis attritu disparet liquidior & diluens pars & crassa & terrestris, tenax & magis oleosa pars ibidem relicta magis coit, & exsiccatur, præterea pro natura & indole nostrorum humorum stagnantium à blanda & balsamica sua natura degenerat & acrimoniam quandam concipit; hinc gemino malo fibras vasorum irritando majorem motum producit, & destruit tenerrima, quibus conflamur, stamina. Est & frequentissima hujus morbi causa, si quis maxime æstuans à labore, itinere, exercitiis &c. ita ut toto corpore fere diffluat sudore subito magna in copia ingerat potum frigidum, tunc enim vasa intercostalia (quæ ad æsophagum directe sita sunt) sese statim constringunt, & humores coagulantur, vidi optimos equos intra unam horam periisse & Nobilem juvenem intra duas horas potatis gelidis; hoc norunt illi, qui equos alunt, quando hæc animalia incaluerunt, tegunt stragulis,

lis, donec ſenſim frigeſcant, dant potandum, ſed aquam calidam, ſed quando frigori exponuntur, paulo poſt Pleuritici fiunt; quando homo ſe valde movet & maxime calet, tunc ſanguis ex majoribus vaſis it in minora, & ut dicit *Eraſiſtratus* in ἀσγεῖαν τῶ πνευμάτων, ergo tunc ſi aër vel potus frigidus ſubito applicetur vaſis intercoſtalibus, illa ſe conſtringunt, & oritur Pleuritis, nam ſanguis intercoſtalis eſt fervidiſſimus, ſi vero pulmo aërem frigidiſſimum recipiens refrigeretur, tum ejus vaſa ſe ilico conſtringent. Hoc fieri poſſe evidentiſſime liquet; nam omnes novimus, ſi dum Hyemali tempore à magno & diu protracto corporis exercitio vehementer incaluimus, & brachium, præ ſudore madens, denudamus; ſimulac frigus accedit, undique aſperis & prominulis tuberculis ſcabrum fieri ad inſtar anſerinæ cutis. Si illud in brachio obſervetur, quid obſtat? ut intus eodem modo non procederet, ubi arteriæ ad intercoſtalia loca decurrentes nudæ fere jacent; hæc revera eſt hujus morbi frequentiſſima cauſa in iis, qui ſe multum exercent, aut iis, qui Æſtate, æſtuante cælo, longa itinera pedibus abſolvunt; ſed omnium maxime in operariis, bajulis, ruſticis & in omnibus illis hominibus, qui gravi & duro labore victum ſibi quærunt; hinc ſi æſtuante corpore pro refrigerio & levamine ſitis, frigidum potum ingerunt (quo fere nil pejus corpori humano accidere poteſt) tunc ſtatim ab aſſumpto tali potu maxime horreſcunt, & diro hoc morbo corripiuntur; quam peſſimum hoc ſit, monet optime Egregius *Celſus*, ubi dicit illud noſſe oportet, quod ex labore ſudanti frigida potio perniciofiſſima; uti etiam itinere fatigatis inu-

lis. Inter causas remotas referri quoque potest, damnabilis ille mos Magnatum & laute viventium, qui ut luxui & voluptatibus suis magis indulgeant, aquam prius coquere jubent, ut postea infusa glacie vel Nitro magis frigesceret; tum potum lagenis inclusum huic aquæ immittunt; quam (postquam frigidus & fere glacialis est redditus) æstivo tempore æstuante cælo, avidissime ingurgitant. Quæ pessima consuetudo in causa est, ut tot homines, quibus nimia vitæ luxuries abundat, in flore & vigore vitæ periclitentur, aut derepente exstinguantur; vel si adhuc evadant, postea miserrimam vitam trahant; hinc potum frigidum (corpore calido) assumere absolute damnandum, præsertim si copiosis spiritibus non abundet. Periculosum itaque est, ut *Hippocrates* monet, plurimum atque repente evacuare, vel replere vel calefacere, vel refrigerare, vel alio quovis modo corpus movere; omne enim nimium naturæ inimicum; sed quod paulatim, tuto fit &c. ad hunc morbum producendum plurimum quoque valet natatio in aqua frigida post violentum corporis motum; quia ab ingenti calore pinguedo in folliculis adiposis (quam provida natura eo destinavit, ut sanguis ab acrimonia & exsiccatione arceatur) liquefit, & sanguini admiscetur, & simulac modo frigus accedit, ilico perspiratio insensibilis impeditur, vasa constringuntur & humores coagulantur, & inspissantur; hinc illi ad instar marmoreæ statuæ rigescunt, & in summo vitæ discrimine & periculo versantur. Ideo optime monet præclarus *Sanctorius in Medicina Statica* natationem in aqua frigida post violentum exercitium esse quidem jucundissimam,

mam, sed mortiferam, nam motibus oppositis nil pejus & perniciosius est.

3. *Mataptosis.* Si nempe diathesis sanguinis inepta sit ad transfluendum, tunc liquefactio illius materiæ oritur, tunc in alia loca defertur, ut in arterias intercostales, creat Pleuritidem.

§. 875. Concludo, quod hæc antecedens historia, decursus insequens & dissectio cadaverum doceant Pleuritidem esse inflammationem sanguineam in vasis musculorum intercostalium vel pleuræ, vel alia loca vicina occupare, si enim sit in periosteo costarum, oritur & ibi Pleuritis; hic vero morbus raro hæret in pleura, sed semper in arteriis intercostalibus, quando in ipsis musculis intercostalibus est inflammatio, tum tantum patitur dolorem, quantum Podagricus, si pedem elevet; sic loquor de vera Pleuritide, nam Pleuritis, quæ fit in homine æstuantissimo, dum se flatui exponit, fit sine febre, sed ille flatus facit frigus, nunquam vidi Pleuritidem, ubi non præcesserit febricula; hæc omnia ex *Hippocrate* & observationibus, quas ante viginti annos observavi, conscripsi.

§. 876. Primo æger jam prolapsus habet appetitum ingentem, nempe si ægri hora quarta pomeridiana essent laboraturi Pleuritide, hora prima, secunda & tertia summopere esuriebant; dein plerumque hic morbus invadit cum frigore & horrore, quasi ægri aqua glaciali perfunderentur, postea increscit cum calore, pulsu duro, siti, anxietate, aliisque symptomatibus febrilibus; paulo post æger dolore acerrimo in alterutro latere (sed imprimis in sinistro) circa costas corripitur, & propter partium consensum, dolor ille nunc versus ante-

riora thoracis, nunc ad brachium adſcendit & propagatur. Interim notandum febrim hunc dolorem plerumque præcedere; cujus rei cauſam hanc eſſe opinor: quoniam materies, quæ vaſa occupat & obſtruit, non admodum adhuc impacta & infarcta eſt, nec impetus ſanguinis ita magnus, ut dolor notabilis excitari poſſit; at poſtea febre increſcente fit major impetus & appulſus ſanguinis in loca obſtructa, quæ cum ſanguinem tranſmittere nequeunt, magis implentur, & diſtenduntur, & dum jam fibræ vaſorum ad illum elongationis terminum ſunt perductæ, ut rupturæ ſint proximæ, facile intelligitur (quoniam ille fibræ nervoſæ ſtatus eſt proxima doloris cauſa) ægrum tunc temporis (poſtquam febris ita invaluit) dolorem acutiſſimum debere ſentire; præterea cum dolor in inſpiratione maximus exiſtit, tum inſpirationis actio non leve detrimentum patitur, nam ex Anatome conſtat, coſtas in inſpiratione ſurſum & extrorſum elevari & muſculos intercoſtales (per quos vaſa inflammata & ulteriori intentioni inepta decurrunt) intendi, & quia dolor, dum thorax explicatur, magis increſcit; ideo æger, ut evitet dolorem hunc intolerabilem, inhibet thoracis motum, & quantum fieri poteſt conatur reſpirationem ope abdominis peragere; interim ſanguis (ob denegatam pulmonis expanſionem) ex dextro cordis ventriculo pulſus perpelli nequit per vaſa pulmonalia, hinc impletur & aggravatur pulmo, & à nimia mole ſanguinis ibidem accumulata premuntur veſiculæ aëreæ, eoque momento, quo æger aërem haurit, intus omnia concutiuntur, irritantur & vellicantur, unde tuſſis provenit, & quia dum tuſſit æger,

æque dilatatur thorax & musculi intercostales agunt, ac in respiratione, hinc non audet ita ducere aërem propter dolorem, sed suffocat, & inhibet quoque tussim, quantum potest. Interea quoque accidit, ut sputa per tussim rejiciantur; sed hoc in omni Pleuritide non obtinet, nec perpetuum est, nam sæpissime videmus ægros Pleuritide laborantes, qui nihil exspuunt; hoc *Hippocrates* etiam suo tempore observavit, has Pleuritidis species vocavit aridas, vel siccas; quæ simplices & omnium exquisitissimæ vocari merentur; dein ubi morbus ad summum vigorem pervenit, adest febris vehementissima, quæ a superveniente Peripneumonia suppressa est, & vix advertitur à Medico pulsum ægri explorante; nam dum pulmo ita obruitur & comprimitur à sanguinis mole, tunc pulsus (qui antea erat magnus & durus) mirifice vacillans & debilis observatur; hinc in statu morbi signa ex pulsu desumpta sæpe sunt fallacia, nam dicunt ægrum præ inopia sanguinis deficere; ubi tamen omnes suos humores & eandem sanguinis copiam habet in suo corpore, uti antea. Hæc est ratio, cur Medici imperiti, qui putant, nullam amplius adesse Pleuritidem nec febrim (ubi morbus revera in pessimo statu existit) quam maxime fallantur, si tum ægro ad virium refectionem (uti perperam perhibent) propinent cardiaca sic dicta medicamenta, quæ fibras ad motum majorem incitant; unde sanguinis motus adaugetur; nam per consequens mortem accelerant, & statim Peripneumonia lethali vel gangræna perire debet, qui forsan, si sibi relictus fuisset, sponte naturæ evasisset; qui errores gravissimi & sæpe lethales (quod dolendum) quo-

tidie in Praxi ab imperitis Medicis & Empyricis committuntur, cum maximo sæpe ægrorum periculo. Hisce præmissis evidentissime patet, hanc veram esse Pleuritidem, quam Medicus facile à falsa Pleuritide distinguere potest, si modo hunc morbum ad hæc signa exploret, uti sunt febris assidua, dolor lateris pungitivus & vehemens, difficultas respirandi, pulsus durus, tussis frequens; præterea si attendat ad doloris speciem, & ad ipsius initium, continuationem & magnitudinem, tum vix falli poterit; sic *Hippocrates* diversis in locis distinguit dolorem lateris à Pleuritico dolore, porro in Pleuritide spuria, symptomata mitiora, & numero sæpe minora esse solent. Nam dolor lateris sæpissime sine Acuta febre observatur, & hujus doloris sedes plerumque ad exteriora percipitur; respiratio quoque non adeo dolorifica, nec ita impedita existit, nec tussis ita molesta, insuper Pleuritis spuria aliam quoque materiem & causam agnoscit, quo plane priori contraria videtur, ut sunt recrementa capitis, destillationes salium scorbuticorum & irritantium, flatus &c. hinc quoque longe aliam curam à vera Pleuritide diversam, exposcit, nam observamus, quod calida, sudorifera, discutientia & cathartica medicamenta conducant, è contra in vera Pleuritide (quæ ab effectu vero inflammatorio oritur) si talia adhiberentur remedia, exasperaretur malum, quandoque tamen accidere potest ut ex mendaci Pleuritide vera generetur, si sponte non evanescat, nec tempestive ei succurratur, medicamentis, catarrhosis destillationibus contrariis: tunc enim eodem modo uti vera Pleuritis oportet tractari. Pleuritis differt à Peripneumo-

monia, in qua tantummodo pulmo afficitur, in Pleuritide pulmo tantum per consensum læditur, tuncque hic morbus aliam accipit denominationem; in illa dolor est gravativus, non adeo acutus & in media pectoris cavitate percipitur, pulsus quoque non est durus sed laxus, major etiam respirandi difficultas adest, ita ut ægri sæpe erecta cervice & cum pinnarum narium expansione respirare cogantur, in hac vero dolor punctorius & respiratio crebra & parva observatur; sputa etiam in Pleuritide non tam cito proveniunt, quam in Peripneumonia & in hac sunt copiosiora: Peripneumonia periculosior quoque existit Pleuritide, sæpissime tamen hi morbi conjuncti observantur, ut videri potest apud *Hippocratem*, tanta enim inter hos est affinitas, ut sæpius alter modo huic, modo ille alteri superveniat; differt etiam ab inflammatione diaphragmatis, nam in hoc dolor non in latere hoc illove, sed circa diaphragma in extrema costarum ad finem ossis sterni observatur, ac instar cinguli thoracem ambit, in Pleuritide dolor in latere vel in alia thoracis parte percipitur; in Paraphrenitide respiratio est vel crebra & celeriter repetita cum in respiratione quasi interdum duplicata vel anhelosa, aliquando cum suspiriis & longis intervallis: in Paraphrenitide porro delirium concomitatur, quidam notant respirationem in Pleuritide opemusculorum abdominis perfici quiescentibus illis thoracis & in Paraphrenitide contrarium esse. Distinguitur quoque ab hepatis inflammatione, ubi dolor circa dextrum hypochondrium observatur in regione hepatis, nec in Hepatitide dolor punctorius, sed gravans existit, tumorque sæpe infra costas spurias notatur, tussis ic-

ca est atque minor, nec respiratio semper adeo tam difficilis quam in Pleuritide, quia ordinario pro lubitu ad omnes partes expandi ac ampliari queat. Inflammationis gradus & progressus sunt obstructio, pressio, tensio, dolor, laceratio, suppuratio, in apostema collectio, ruptura apostematis in empyema, aut exitus inflammationis in gangrænam sphacelumve, in scirrhum, seu tuber indolens & durum, ergo hic morbus potest abire in tot diversos morbos. Quamdiu in vera Pleuritide pulsus est magnus & durus, tunc optimum est indicium, sed si pulsus sit mollis, nec multum caleat, & æger se non melius habeat, fere semper despero, quia sanguis intra pulmonem retinetur.

§. 877. Hic morbus ut omnes alii terminatur in hos tres modos.

§. 878. In sanationem terminari dicitur, si morbus præsens ita tollitur, ut nil detrimenti retineat homo, sed est, ut fuit ante Pleuritidem, quod præstatur beneficio naturæ vel artis.

§. 879. Primo beneficio naturæ sanari dicitur, si curetur per sola molimina, quæ in corpore supersunt; secundo per artem, si ibi relicta peperisset alia, sed adjuta sanitatem restituit, sic priori modo curatur vel simplici resolutione vel critica evacuatione.

§. 880. Resolutione sanatur, si Pleuriticus habeat corpus laxum, humores aquosos & blandos non acres, vasa dilatabilia, symptomata levia; multæ enim sunt Pleuritides, in quibus præcesserunt febres & punctura levis, æger in inspiratione non multum dolet, respiratio bona, pulsus lenis & mollis, tum adsunt signa resolutionis, hinc prohibeantur motus, calor, cibus

cibus vel potus augens febrim, aër similis, bibat tepida aquosa non fervida, ut decocta pectoralia & aperientia, nempe decoctum Taraxaci, Lactucæ, Cichorei, radicis Agrimoniæ, Bardanæ, Cichorei cum foliis, totius Scabiosæ, Morsus Diaboli, Papaveris Rhæados totius, radicis Graminis recentis, Fæniculi præsertim omnis radicis Scorzoneræ & Tragopogonis, specificum est Bellis Pratensis mense Majo decerpta, aut & decoctum Tragopogonis; hæc omnia aperiunt, & dant mollissimos fotus, hæc tamen in magna Pleuritide non levant; fomenta fiant ad latera ex decocto Verbasci, Sambuci, Malva, Bismalva cum lacte, quæ intra pannum pressa, vel pannus hoc decocto madidus ponatur circa locum dolentem, ei superimponatur tegula calefacta, quantum fieri poterit, & æger sic hæreat in lecto, hoc incredibiliter resolvit; hinc non opus est perpetuo insigni evacuatione per venæ sectionem hunc morbum curare, nam si modo levis sit morbus (quod ex symptomatum benignitate dignoscimus) tum sufficiat applicuisse fomenta, uti & decocta blanda, diluentia & aperientia, saponacea, quæ simul quoque inflammationi resistunt, & impetum sanguinis refrænare valent. Hunc in finem conducit sequens decoctum.

℞. Rad. Cichorei
—— Scorzoneræ ana ℥ij
—— Glycyrrhizæ ℥j
Fol. Bismalvæ
—— Acetosæ
—— Endiviæ ana Man. j.
Flor. Pap. erratic.

Flor. Althææ
—— Verbafci ana M*ß*
Sem. contufi Papav. albi
—— —— Melon.
—— —— Lactucæ ana ℥ij

Cum Aq. decoct. fpatio ¼ horæ pint. iij exhibe. Capiat æger uncias duas calide omni quadrante horæ.

Eodem quoque tempore, loco dolenti applicetur calide fomentum, quod vires habet laxandi, aperiendi, refolvendi, humectandi & inflammationi refiftendi; quo in cafu coquatur Hordeum contritum vel Avena in aqua, cui poftquam aliquantulum coxerit, paululum aceti addatur, quod facculo vel panno involutum calide applicetur. Vel applicetur fequens fotus, qui etiam egregie laxat, aperit & dolorem demulcet.

℞. Fol. Malvæ
—— Bifmalvæ
—— Parietariæ
—— Verbafci ana M. j.
Flor. Althææ
—— Meliloti
—— Sambuci ana ℥j*ß*
Farin. Sem. Lini
—— Fænu Græci ana ℥ij

Coq in S. Q. Aquæ Fontanæ
F. Fomentum.

Quod calide mediante panno laneo parti dolenti

lenti applicetur. Interim æger utatur victu blando, tenui & humido ex hordeatis, jusculis carnium tenuissimis, quibus herbæ molles & saponacea addantur, ut Lactuca, Cichoreum, Endivia, addito etiam Nitro depurato vel alio sale refrigerante; cæterum sibi caveat æger à reliquarum non naturalium rerum abusu, si quando accidat, ut alvus nimis stricta existat, tunc danda sunt eccoprotica, ut pulpa Cassiæ, Tamarindorum, Manna &c. vel potius clysma ex sero lactis calido vel mollissimis herbis, aut ex aqua mellita injiciatur; vitentur cane pejus & angue omnia, quæ irritant, & acrimonia sua intestina nimis afficiunt; nam febris adaugent, & naturam à salutari suo proposito divertunt.

§ 881. Si Medicus advertat naturam moliri quandam evacuationem debito tempore, per alvum, urinas, sudores, hæmorrhoïdes, nares, abscessus; aliaque huic excretioni dicata loca, tum oportet, ut animum attentum habeat, quam viam natura affectabit, & quo versus materia critica movebitur; si determinetur ad vias consuetas, vel ad partes minus nobiles, uti ad aures, crura, humerum, &c. quod extensione, stupore, dolore & partis gravitate innotescit (de quibus signis omnium optime scripsit *Prosper Alpinus in Incomparabili illo Tractatu de Præsagienda Vita & Morte*, ubi fidelissime futuræ criseos signa enarrat & describit) tum illico ille locus est fovendus & laxandus ut naturæ actio facilitetur, & materies morbosa facilius abscessu &c. evacuetur; hoc quoque diversis in locis inculcat Medicorum Princeps *Hippocrates*, cum dicit, quo natura vergit, eo est ducenda, si per loca convenientia id fit,

deinde

deinde si evacuationes perfectæ & proportionatæ ad morbi speciem fiant (quod ex levamine symptomatum & constantia evacuationis ad morbi finem usque dignoscimus) tum nil movere, nec sistere, optimum erit remedium; hinc si totum illud negotium naturæ committamus, & si vitemus omne illud, quod naturam à suo salutari proposito revocare potest, tum omne illud præstitimus, quod ab arte desiderari potest, quod egregrie monet *Hippocrates*, quæ judicantur & judicata sunt perfecte neque movere oportet, neque innovare sive purgantibus, sive aliis irritamentis, sed sinere.

1. Hoc ab *Hippocrate* fuit observatum & ab omnibus Auctoribus postea confirmatum, quoties intestinum rectum maxime doleat, & brevi post fluant hæmorrhoïdes præsertim ante tertium diem, tum æger Pleuritide liberatur.

2. Est eadem observatio in Peripneumonia, nempe materia hærens ad arteriarum intercostalium angustias cocta ad aortam profluens fluit ad arterias reniales, hacque ratione educitur, tum sicca Pleuritis sanatur; *Hippocrates*, *Galenus* & recentiores putant siccam Pleuritidem esse lethalem, sed si talis urina fluat ante quartum diem, tum morbus solvitur.

3. Si ex alvo ut Peripneumonia ante quartum diem dimiserit æger mucosum flavum cum strigmentis sanguineis, sanatur æger, licet sit sæva Pleuritis.

4. Si tales abscessus fiunt eo tempore, quo materia solvitur in pleura, tum optimi sunt ut in Peripneumonia.

5. Subitus stupor in brachiis, gravitas, dolor-

lorque in iis partibus, si oriebatur, cito sanabatur, hoc in Epidemiis observavi, tunc enim materia per arterias profluens fluit in cor, tum sanantur ægri; hoc notavit *Hippocrates*, reliqui Auctores putant malum esse signum, sed semper cum illo Auctore hoc bonum esse signum animadverti, *Baglivius* putat singularem esse suam observationem, dum scribit, quod viderit homines, quibus cedebat dolor Pleuriticus ad scapulas semper fore sanaturos, sed *Hippocrates* hoc jam dudum notavit, significat enim, quod materia distribuatur per totum & non in unam partem petat.

6. Si tale sputum appareat, tum nemo Pleuriticorum inde moritur, neque manet Dyspnæa vel Asthma, nemo hoc habet præter solum *Hippocratem*, nec excepto *Sydenhamo*, si tale sputum oriatur, est Pleuritis humida, si ex loco affecto fiat, tum post sputi excretionem locus levetur, nempe si liberale, id est, in magna copia, pulsus dilatatior non durus sine Coryza præsertim ante diem quartum, tum ante nonum vel undecimum diem sani sunt ægri, ignari hæc sputa horrent, sed bona sunt, nam illa flavedo sensim albescit, talis æger certissime ita sanatur, ac si nunquam Pleuritude laboraverit.

§. 882. 1. *Quiete*. Ne sanguinis motus & inspiratio lædat partem ante expositam.

Medicamenta mollia sunt decocta Fœniculi recentis, aut radices recentis Graminis, recentis Scorzoneræ, Taraxaci imprimis, Cichorei Hieracii, Sonchi, Lactucæ, nam in his omnibus est vis diluens saponacea, & attenuans, v. g.

℞. Hord

℞. Hord. Mund.
Rad. Violar.
——— Buglossi ana M. j.
——— Scabiosæ Mß
——— Liquirit. ℥j.
Passul. ab arillis repurgat. p. j.

Coq. in Aqua communi ad Colat ℔j.

De hoc potu æger assumat, quantum lubet, & nihil aliud, quoniam natura viam monstrat tunc ex artis lege vasa sunt laxanda, sanguis diluendus, ut melius fluere possit.

2. *Hippocrates* dicit, quod ægri sanantur hæmorrhoïdum fluxu, si ergo conquerantur de tenesmo, Medicus ano applicet laxantia emollientia, aut si tum non fluant hæmorrhoïdes, hirudines, vide *Materiam Medicam.* Vel fotu nempe ex decocto lactis cum foliis Althææ, Melissæ, Brancæ Ursinæ, Plumbaginis &c. Medicus omnes humores & omnia vasa ita tenere debet, ut quænam pars disposita sit ad materiam accipiendam, exspectet, si nunc videat minimam determinationem, tum per determinantia agere debet, si per sputa se evacuet Pleuritis, tum est Peripneumopleuritis; simulac Pleuritis vobis occurrit, statim est cogitandum, an Pleuritis est in statu resolutionis, an ex parte cocta, an ex ipsa arte juvanda, vel non, hinc quo vergit materia, eo est ducenda, si urina sit valde turbida & crassa, & dolor ante mingendum quidem præcesserit, tum renum viæ sunt laxandæ, nempe clysmatibus, lenibus diureticis; externe fomenta calida sunt apponenda ut & balnea adhibenda, victus sit ei

ei scopo inserviens, sufficit sola ptisana pro potu ex decocto Hordei cum Oxymelle & pauco Nitro. Quando materies in sanguine oberrat, nec adhuc dum alicubi arietat, vasa tantum laxa sunt tenenda, verum si dolor & alia signa metastaseos appareant in aliqua parte, tum adjuvanda est natura, quo natura vergit, dicit *Hippocrates*, eo ducenda, quando etiam natura non vergit ad loca, ex quibus se liberare possit salva vita vel sanitate; tunc inde est avertenda, nam v. g. si homo sit Peripneumonicus, stillet sanguinem è naribus, tum adjuvanda est natura; verum si spueret sanguinem ex pulmone, tum natura inde est avertenda scilicet per venæ sectionem. Si materies oberrans veniat in pulmonem, tum ibi species Peripneumoniæ oritur. Si materiam ex alvo ire videamus, tum dandum est decoctum ex Uvis Corinthiacis, ex Passulis minoribus & Ficubus &c. quæ alvum blande subducunt & laxant; similia clysmata etiam sunt optima; hinc si natura nimis tarde operetur, vel si non satis efficax existat ad illud omne (quod sibi alienum & noxium est) expellendum, tum Medicus tanquàm minister & adjutor naturæ ei succurret, tollendo impedimenta, quæ excretioni obsunt, & excitando torporem & naturæ inertiam partim victricis, partim succumbentis. Hunc in finem partes, quo versus critica materies determinatur, laxandæ sunt derivantibus remediis, ut minus resistentes evadant, & ut materia peccans ad hos magis alliciatur; cui scopo conducunt lenes frictiones, balnea vaporis, per infundibulum admissa, fomenta mollissima &c. sic cuilibet evacuationi, non satis magnitudini morbi respondenti prospicitur. Diæ-

ta

ta sit paululum magis reficiens, ut languens natura ad hoc opus confortetur & excitetur; dein in fine morbi lene purgans exhibeatur ad præcavendam recidivam; nam juxta illud monitum *Hippocratis*, quæ in morbis post crisin relinquuntur, recidivas facere solent. Si perturbatio critica nimis vehemens fuerit (ita ut natura impetuosior existat) tum coërceri debet ille impetus, ne æger à nimis strenua lucta naturæ cum morbo statim exstinguatur; tunc oportet ut Medicus tantùm detrahat de vi morbi per venæ sectionem, ut tanta vis & copia sanguinis relinquatur, quanta ad bonam crisin absolvendam sufficit, nulla habita ratione morbi temporis, si necessitas & vehementia symptomatum illud exigat: hoc *Hippocrates* monuit, ubi octavo die venam secuit pro nimio morbi impetu moderando.

§. 883. Ubi vero natura nullum indicium præbet & impar sit, mediante coctione & excretione hunc morbum expellere per loca aliquoties memorata, tum opus est, utMedicus artificiali evacuatione per venæ sectionem hoc malum corrigat; quæ methodus nulla tutior & præstantior adhuc est excogitata; quæ profecto ita utilis & necessaria est (præcipue in hoc morbo) ut nunquam omitti debeat, in quacunque ætate, sexu, imo in gravidis, si urgeat necessitas, non est prætereunda; excipiantur tamen illæ Pleuritidis species, quæ à causa latente uti tuberculo, vel abscessu, vel epidemica constitutione ortum ducunt; sic semper hacce via (si necesse sit) tentanda est resolutio, ne ægri in periculosissimam pectoris suppurationem vel alia mala incidant, unde paucissimi eluctantur; hoc auxilii genus, hancque me-

tho-

thodum adhibuit magnus *Sydenhamus* in Pleuritide curanda; qui largiſſime detraxit ſanguinem, de remediis ſputa expellentibus parum ſollicitus; probe enim noverat, ſplendidiſſimum illud noſtræ artis ornamentum, quod medicina, quæ ad ſputa elicienda ſola dirigitur, nihil vel parum proficere poſſet in ſicca Pleuritide, ubi ſæpe nil coit ad exſpuendum, ſicque magnus ille vir omnem criſin, à qua tot incommoda exſurgere poſſunt, anticipabat & demebat., præterea ſequentia nobis venæ ſectionem ſuadent; uti criſes, quæ hic loci nimis tardæ & ſæpe imperfectæ conſpiciuntur, nam hiſce non ita confidere poſſumus, uti *Hippocrates* faciebat in ſua regione, ubi calor & vigor naturæ erat ad morboſam materiem coquendam & evacuandam. Huc quoque accedit, quod ſæpe hic loci ex perverſo regimine rerum non naturalium & ex præpoſtera medicamentorum exhibitione, criſis mirum in modum confundatur & immutatur, unde boni Medici criſeos doctrinam & methodum aſſequentes, ſæpiſſime falluntur, & infeliciſſime curant; Porro ſi venæ ſectio rite celebretur, plura evitabimus mala ſæpe ex critica depoſitione orientia; nam aliquoties accidit, ut critica materies tranſmigret ad caput, aut ad alia nobiliora viſcera, unde periculoſiſſimæ ſuppurationes vel lethalia ſymptomata producuntur; ne quis putat venæ ſectionem ita periculoſam eſſe (ut nonnulli Chemici ajunt) nam ſi acri circumſpectione attendatur ad ægri vires, temperiem, ſigna præterita & præſentia, & ſi ſingula phænomena ſedulo inter ſe comparentur, minime in periculum ægrum conjicies, hinc ſi Medicus tempeſtive, id eſt, in initio, vel morbi

incremento seu ante tertium diem finitum, vocatur ad ægrum, nullumque obseruans naturæ molimen, nec dispositionem ad excretionem per loca accommodata; si sit in corpore robusto, nam sæpe Pleuritis paulo ante mortem oritur, ita ut mortem impedire non possit, etiamsi Medicus venæ sectionem instituat, hinc tum à minima sanguinis jactura mors supervenit, ergo in robusto corpore statim est instituenda venæ sectio, nam si bene fixata sit Pleuritis prima hora per venæ sectionem sanari potest, sed aliquando post biduum vel triduum curari nequit; hinc fiet venæ sectio cita, larga, nam parva velocitatem auget, ergo ad animi deliquium est instituenda accelerato fluxu celeris, si enim sanguis in Pleuritide summo cum impetu emittatatur, tunc eo magis avertetur sanguis à cæteris vasis, & quo accelerata magis erit venæ sectio, eo melius erit; nam si missio sanguinis non fiat celeris, non prodest, in mille ægris venæ sectio est adhibita, ex quibus nil sanguinis exiverit, qui ægri non inspirant, unde multi pereunt, Chirurgi tum dicunt sanguis exire non poterat, & Medici putant se satisfecisse officio, hinc sanguis est accelerandus, quod egregie fit tussiendo vel fortiter inspirando, vel naribus supponendo vinum aut acetum vel pulvere sternutatorio unde æger tussiet, & sanguis felicius exibit; porro instituenda est venæ sectio ex magno vase per latum vulnus (nam parvum raro prodest) ex brachio ejusdem vel oppositi lateris (quod non multum refert) ad animi deliquium usque; nam si in initio morbi larga venæ sectio instituatur, tum sæpe accidit, ut æger unica sanguinis missione perfecte à morbo convalescat, ubi alias morbus, si al-

tas radices egerit, licet, venæ sectio ter vel quater instituatur, vix auscultare solet. Hæcce toties celebranda est, quoties inevitabili extorserit necessitas; & eo quidem gradu, ut morbus augeri nequeat: interim respectu habito ad ægri vires, ætatem, sexum, sanguinis qualitatem, anni tempora, morbi magnitudinem, durationem, aliasque circumstantias, quæ omnia à Medico probe notanda veniunt; porro qua copia sanguis sit educendus, ita facile limitari nequit, sed pro diversa ægri conditione, ætate & robore &c. admodum variare debet, sic in adulto & robusto homine mediæ ætatis, educatur prima vice ad uncias decem, vel duodecim &c. sicque plus minusve detrahendum prout ægri vires &c. morbi ratio postulant. Quomodo, quo tempore, & quo usque sanguis sit mittendus, optime docent medicorum Principes *Hippocrates* & *Celsus*, ubi circa hoc nobile auxilii genus insignes regulæ & præcepta præscribuntur. Summe autem cavendum, ne nimia copia detrahatur sanguis, & æger præ sanguinis inopia & exhaustis viribus insuperabiles debilitates & Chronicos morbos incidat; neque licitum erit venam secare in extremo morbi vigore, ubi natura jam jam desistet cum morbo confligari, sed in initio vel incremento morbi, quando adhuc nulla notabilis critica evacuatio conspicitur: illud quoque monet medicorum Parens hisce verbis; incipientibus morbis, si quid movendum videatur, move: vigentibus vero quiescere melius est. Præterea ne æger in animi deliquium cadat (ut aliquoties accidere solet) secetur vena corpore supino & quiescente in lecto & licet unciæ quindecim mittantur, non patietur æger animi deliqui-

liquium, vide *Bellinum*, nam æger tum non indiget tanto sanguine ad musculos erectos tenendos, ac si staret; porro si accidat, ut sanguis ex aperta vena non profluat, uti decet (quod oritur, si æger non velit fortius respirare vel tussire præ dolore)tum decipiendus est æger, & loco vini, acetum vel Oxymel est dandum, vel jube, ut per nares vaporem calidum aceti hauriat, ut ad tussim incitetur & discussio sanguinis fiat in pulmone, hoc facto sanguis pleniorisaltu prodibit. Si vero dolor prima vel secunda venæ sectione non cedat, tunc debito temporis intervallo intercurrente; iterum repeti debet; interim bene attendendum, an non æger in inspiratione levamen doloris percipiat, si remittat dolor, statim abstinendum erit; si postea (ut aliquando contingit) redeat idem dolor, repetenda erit missio sanguinis eo usque, donec diathesis inflammatoria in sanguine sit repressa: & licet aliquis exiguus dolor remaneat, nil est metuendum, quoniam sponte evanescere solet; sicque ulterius pergendum.

2. Interim in toto morbi decursu ab initio ad finem usque, fomenta calida & mollia toti thoraci erunt imponenda, ut hisce vasa inhalantia venosa imbibantur, & ut sanguis stagnans iterum ad motum circulatorium adaptetur, certe nullo remedio post venæ sectionem Medicus plus efficiet quam fomentis; cum non solum vasa sanguinea, sed quoque decrescentia, uti serosa, lymphatica &c. obstruantur, tum efficacissimum præstant auxilium humectando, laxando, & reserando vasa obstructa, ad quæ venæ sectio statim pertingere nequit; hunc in finem conducunt omnia mollissima, farinosa

&

& blanda medicamenta, uti farina seminis Lini, Avenæ; Fænu Græci, radices Althææ, Liliorum Alborum, Fæniculi &c. herbæ Bismalvæ, Verbasci, Parietariæ, Linariæ, Mercurialis, flores Papaveris erratici, Althææ, Meliloti, Sambuci, Chamæmeli, Verbasci, &c. ex his in Lacte cocta varia parari possunt fomenta; insignem quoque opem præstant vapores aquæ calidæ per infundibulum externe ad locum dolentem admissi. Sic quoque egregie laxat & resolvit, si æger ore attrahat calidum illum vaporem, & per nares iterum efflet. Externe quoque conducunt unguentum Althææ, Populei, vel Nutritum, linimenta ex oleo Lini, Liliorum alborum, Lumbricorum, Verbasci, vel simile v. g.

℞. Sacchari Saturni ℥iv.
Aceti ℥vj
Olei Rosar. infus. ℥j

M. F. Linimentum
ad latus inungendum.

3. Dein interne pro potu assiduo conducunt decocta, julapia laxantia, diluentia antiphlogistica &c. cui scopo apta quædam sequuntur, ex quibus quisque pro lubitu varias formulas concinnare potest, vel quæ omnia ad unum decoctum adaptari possunt, uti

℞. Rad. Althææ
——— Lapati acuti
——— Gramin.
——— Scorzon. ana ℥ij
Herb. Bismalvæ

Herb. Agrimoniæ
—— Acetosæ
—— Taraxaci ana M. j
Flor. Althææ
—— Pap. errat
—— Violar. ana ʒj
Sem. Lactucæ
—— Pap. albi ana ℥iij

Coq. S. A. in Aq. comm. Colat. pint. iij adde

Sal. Prunellæ ʒij
Rob Sambuci ℥iij
M.

Assumat inde æger omni $\frac{1}{4}$ horæ uncias tres calidas; vel si magis arrideat Julapium.

℞. Aq. Decoct. Hordei ℔ j
Sal. Prunellæ ʒß
Syr. Pap. Rhæad.
—— Violar. ana ℥jß
M. F. Julapium.

Bibat inde æger pro lubitu. Vel decoctum radicum & foliorum Fæniculi, Peucedani, Anethi, quæ omnia coquantur in sero lactis & aqua, & hoc decoctum postea edulcoretur syrupo Glycyrrhizæ, Jujubæ, Capillorum Veneris, Diacodii, Papaveris vel Melle; si addatur Nitrum, tanto melius erit, hæc calida sumantur, ut sorberi possint; vel decoctum ex Rusco, Gramine, Glycyrrhiza, Dulcamara, Papavere Rhæados, Verbasci & similibus. Dedi etiam quotidie in hoc casu oleum Amygdalarum

larum dulcium recenter expressum ad uncias; duodecim. Nitrum purum vel defæcatum, uti Sal Prunellæ & Polychrestum sunt specifica in hoc morbo, vel Nitrum sola fusione in crystallos præparatum. Interim æger, ne nimis fluida dissipentur, quotidie è lecto eximi potest, ad aliquot horas, quod maxime ad curam contribuit: minime enim obruendus est nimia stragulorum mole, uti perperam nonnulli faciunt ad sudores exprimendos, sed servetur in æquabili, & leni calore, aliter inflammatio adaugetur, unde pessime sese habent ægri, dein in fine morbi, quando omnia symptomata remiserunt, tum leni clysmate, vel purgante per os assumpto ex Rheo, Cassia, Senna, Tamarindis, aliisve antiphlogisticis purgantibus remediis, alvus sollicitetur, ut relicta materia morbosa, si quæ adsit, expellatur; ex his conspicue patet, quam maxime aberrent à rei veritate & vera methodo curandi Chemici & nonnulli Medici, suis hypothesibus & præconceptis inanibus speculationibus plusquam par est addicti, qui hunc morbum ab acido oriri statuunt, ideo calida, & æstum augentia remedia præscribunt, quid aliud fiet: quam ægrum in summum vitæ periculum conjicere. Hisce enim sanguinis æstuationem non impediunt, sed magis promovent: tandem nullum effugium nec eventum videntes sed omnia symptomata vehementius excandescere & pejus verti advertentes, hoc in statu quid demum consilii capiunt? motu nempe exterriti inque maxima hac angustia positi dum ultro citroque se agere necesse habent, tandem ad sanguinis missionem, aut ad alia extrema remediorum genera confugiunt, & unde incipere debuissent, id

morbo jam consistente tentant, & ea salutis præsidia alieno tempore frustra adhibent, quæ artis periti inter initia morbi magno cum decumbentium commodo præcipiunt. Hisce rite peractis tum demum ea medicinæ pars, quæ victu curat, prudenter instituatur. Aër igitur sit humidus, & temperate calidus, in quem finem veteres latas pelves, aqua calida plenas, in cubiculo, ubi æger decumberet, ponebant: cibus & potus sint tenues & molles, ex oleribus mollissimis & leniter saponaceis, uti sunt Lactuca, Endivia, Cichoreum, Brassica, Beta, Spinachia, Borago, Acetosa, Rapa &c. juscula angina vel vitulina, quibus addi possunt herbæ molles, addito Sale Prunellæ; huc quoque spectant juscula hordeacea, Avenacea, Aquæ Citratæ, Serum Lactis, Hydromel, Aquæ Saccharatæ; convenit hic quoque omne syruporum genus, quod emollit & laxat, additis aquosis & nitrosis; vitentur potus generosi & spirituosi uti & nimis frigidi: non adsint vehementiores corporis motus, & animi pathemata; somnus & vigiliæ sint moderatæ, alvus sit mediocriter laxa, &c. improbatur quoque à nobis methodus medendi Pleuritidem per diluentia & incidentia sola, omissa venæ sectione, quoniam in Acutis & inflammatoriis morbis sanguis ad instar picis tenax & crassus existit, ita ut aquam admittere nequeat; hæc est ratio, cur fere omnes Acutos morbos sanare possemus, si aqua sanguini miscibilis reddi posset, quod sine divisione & subductione sanguinis facile fieri nequit.

§ 884. In Pleuritide ante quartum diem semper est spes resolutionis, post tertium diem semper fit suppuratio; sanguis non est mittendus

dus usque ad integrum doloris finem; nam si hoc Medici facerent, tum ægri integre exhaurirentur, verum tantummodo sanguis est detrahendus, donec dolor superstes non sufficiens esse videatur ad faciendam suppurationem, nam credere omnino debemus, quod quamdiu aliqua & minima supersit inflammatio, dolor non integre finietur, sed semper aliquis remanebit, nisi æger sit omnino exhaustus.

§. 885 *α.* Ex signis generalibus dolore, calore, tumore magno in parte inflammata, febre magna & symptomatibus his ultro triduum durantibus, nec malo per naturam vel artem levato.

β. Si post quartum diem dolor adsit maximus, respiratio summe dolens, tussis perpetua, non curabitur æger per resolutionem, & locus suppurabitur.

γ. Si nullum oriatur sputum vel alvi excretio crassa vel urina stranguriosa, nec tumor ichorosus ad aliam corporis partem.

δ. Si negligantur medelæ impedientes transitum inflammationis in suppurationem. Si hæc quatuor signa adsint, certo suppurabitur Pleuritis, quæ suppuratio si negligatur, æger misera Phthisi moritur.

§. 886. Quæritur quomodo sciatur à Medico quam certissime, quod abscessus ex inflammatione jam fiat? respondetur, si cognoscamus omnia signa, quæ docent omni loco transire inflammationem in suppurationem, si nempe duraverit dolor per quatuor dies, die quarto minuitur, succedit pulsatio, gravitas deprehenditur, febris minuitur, respiratio manet difficilis, quando inflammatio in suppurationem desinit, tum semper fiunt horrores (*ob-*

servante Hippocrate) per corpus, quia pus in sanguinem infunditur, aliquando hoc apostema sputo redditur.

§. 887. Abscessus est vel clausus vel ruptus, clausus format cavum, quo pus continetur, labia sanarum partium alliciuntur; hoc ipso interim pus quotidie fit pejus, labia quotidie exeduntur, apostema increscit, quod magis impletum attenuabit & extendit membranas coërcentes, unde tuber & tenuitas membranarum, tandem ruptura spontanea & exstillatio puris in cavum pectoris, si sciamus in pectore hærere abscessum; tnm ulcus non detersum novum pus generat, totum corpus consumitur, ut meis oculis vidi, & quod non crederem, nisi ex puero Pleuritide neglecto post septem septimanarum scytellam pure plenam eduxissem; hinc ergo Pleuritica fomes omnes corporis humores ad illum locum deponit, & ille locus non potens consolidari, augetur, & sic cadit humor suppuratus in pectoris cavum. Æger Pleuritide laborans per septem dies dolet, post septimum melius sese habet, decimo quarto die patitur dolores summos, hic dolor non est à Pleuritide, sed ab apostemate protuburante, quod est in nixu rupturæ, decimo quinto die æger est sanus, Medicus tum scit apostema esse ruptum, vel ægrum per aliquot dies sese bene habiturum, sed eadem tragædia iterabitur, nam pus in thoracem abit. Omnis subita mutatio sine bona causa semper malam metastasin significat, sic & hic phænomenis doloris, caloris &c. cito evanescentibus scitur pus ruptum esse in thoracis cava, simulac hoc factum sit, jubet Medicus ægrum in utrumque latus decumbere, si nil inde sentiat mali, signum est parum

pu-

puris exivisse & empyema jam adesse ex his cognosci potest; si dolor qui antea fuit punctorius, jamque fit gravativus, & quo major dolor iste punctorius minuatur, eo magis fit gravativus; respiratio multo fit difficilior & brevior, patiens in latere affecto decumbens melius se habet quam in sano, cujus contrarium ante disruptionem abscessus observatur, dum se movet æger, de uno latere in aliud contenti humoris fluctuationem in thorace percipere potest, & quid grave ibi hærere observat. Si æger Orthopnoicus fiat, signum est plurimum puris exisse, si omnia rursus adscendant, febris vespertina accedit, oculi sunt rubri, tussis perpetua, sudor maxime adjugulum & ad caput, & quia pus hæret loco calido, clauso & moto, hinc inquinabitur pulmo, qui est viscus tenerum fungosum, hinc cito putrescit, & oritur Phthisis purulenta.

§. 888. Extrinsecus applicatur cataplasma suppuratorium ex Malva, Althæa cum Melle vel fimo Columbino, ex Liliorum alborum bulbis, farina Avenæ, Cæpis sub cineribus assatis cum butyro insulso, floribus Althææ aut simili composito, hacque ratione locus reddatur tenuis & mollis, ut postea abscessus extrorsum pellatur, ne in pectus cadat, si per triduum aut biduum hoc fecero, nec tuber assurget, licet caustico inurere, dein vulnus corrosivo reddere profundius nil mali facit, nec (si non succedat) multum nocet, non vero succedit, si nimis profunde versus pleuram hæret apostema, tuncque succedere vix potest hæc methodus; dices non esse exempla, verum est nullum post *Hippocratem* tentasse, sed ille jubet inuri locum, & videtur hoc attendisse, ut me-

metus avertatur, ne pus in thoracis cavum cadat, hoc facto non imponenda sunt plumaceola, sed vulnus apertum tenendum, vide *Prosperum Alpinum de Medicina Ægyptiorum.*

§. 889. Si pus jam penetraverit in thoracem, cito tolli debet, aliter pulmonem erodet, inficiet sanguinem, nemo evadet, ergo evacuandum est per Paracenthesin pectoris, hoc ut fiat, locus affectus sciri debet, tunc acuto scalpello pertundatur, uti dictum est *in Capite de Vulnere Thoracis*, hoc facto æger jaceat in latus affectum, tussiat, ut omne pus exeat, vulnus eluatur infuso Scordii, si pus eo usque sit evacuatum, ut aqua injecta non amplius fæteat, vel immittatur Mel cum pauca Myrrha soluta in ovi vitello cum sero Lactis &c. & præterea æger utatur sero Lactis & multis detergentibus.

§. 890. Si abeat in tuber scirrhosum & adhæsionem pleuræ (Belgice *aangewassen*) tum oritur Asthma, Dyspnea, aut tussis sicca, quæritur, quomodo sciat Medicus hoc malum abire in scirrhum vel adnatum pleuræ pulmonem? respondetur, si quatuordecim diebus nullum signum suppurationis adsit, nec æger sentiat ad latus aliquam molestiam, sed dum multum movet & currit, fit tussis & dolor.

§. 891. Hoc malum cognitum vix curatur, quæ hic commendantur, aliquantulum prosunt.

§. 892. Pleuritis violentissima decurrat usque ad tertium diem sine remissione, fiet gangræna; unde intra paucum tempus moritur æger.

§. 893. Si partes sint strigosæ, densæ, strictæ, humores acres, febris, dolor in pectore cum pulsu cito titubante, sciendum est, nisi natu-

natura vel arte suppuretur, debito tempore gangrænescere.

§. 894. Hæc omnia ex *Hippocrate* collegi, cum olim ejus magnum opus in classes redigerem. Hæc docent talem esse diathesin, ut partes destrui debeant. Funestus & exitialis est morbus, si respiratio admodum sit difficilis, tussis molesta, strepitus in pectore, quod notat tantum sanguinis in arterias pulmonis venire, qui non transire potest in venas, unde tunc pulmones strepunt; si sputa nulla vel perniciosa & naturali colore & consistentia valde recedentia (uti sunt viridia, nigra, fulva, fætentia &c.) quæ si ægerrime prodeant, nec morbum levent, cito mortem annunciare solent; huc quoque spectat pulsus languidus, urina aquea maxime tincta, lingua arida livescens vel nigra, latus lividum, nigricans aut virescens, pulsus inæqualis, debilis, vel derepente remittens, quæ omnia signa sunt pessima, alvi fluxus in Pleuritide salutaris est, at si sit fætidus non levans, ut hic describitur in Pleuritide, est ichor putrefactus, gangrænosus derasus per vasa hepatica, & in intestina depositus. Si Peripneumonia superveniat Pleuritidi, est malum symptoma, ut testatus est *Hippocrates* in Aphorismis. In Italia, Hispania & fervidis regionibus magis advertitur, quod si sanguis ex corpore Pleuritico demptus accipiatur vasis puro, brevi erit crustaceus, coriaceus, sed si sit ruberrimus vix coccineus, æger certe morietur; quando hoc accidit, tum putant Itali & Hispani commentatores hoc fieri à nimio impetu & fervore sanguinis, sed potius significat sisti crassa ad locum inflammatum, sed tenuissima & optima excerni, mala ad locum accumulari, quamdiu hoc sustinere nequit. Si sputum

bito supprimatur, pessimum est signum, nam intra paucum tempus æger morietur; hypostasis nigra furfurea est lethalis, nam notat gangræna partes occupari; si adsit fluxus alvi viridis, est pessimum signum, hoc fit, quando materies biliosa saniissima adeo agitatur per nixum, tunc primo abire potest in colorem viridem, vide *Sydenhamum de morbo Hypochondriaco circa Vomitum in navi materiæ viridis.*

§. 895. Si sicca sit, ob defectum virium est lethalis, lingua sicca &c. est signum lethale, nam in hoc casu talis est externa pulmonum membrana, qua aërem recipit. Pessima hic sunt laudata Chemicorum remedia, nempe Spiritus Theriacales, Vitæ, Cornu Cervi, Sales Ammoniaci, liquor Cornu Cervi Succinatus, quæ omnia ab *Helmontio* & quibusdam Chemicis *Cartesianis* laudantur.

§. 896. Chirurgi, ubi gangrænam metuunt, hac ratione curam adhibent. Vide *Aurelium Severinum de Abscessuum Natura.*

Fortibus emundantibus. Huc conducunt fomenta ex foliis Scordii, Ruthæ, Absynthii, Marrubii, Centaurii minoris, Rorismarini, ex his fiant fomenta & cataplasmata pectori inducenda, hæc præsertim coquantur in vino, & aceto addito sale, quæ calide teneantur ope vasorum figulinorum concavitate sua reponentium convexitati corporis, hacque ratione locus per duas vel tres horas servetur perpetuo calidus.

Diluentia. Sumat æger v. g. libram unam aquæ cum uncia una aceti cum Nitro.

Hauriantur. Nempe prius applicatur decoctum Scordii, Imperatoriæ, Marrubii, Alliariæ, Thlapsi, Alyssi, aliorumque antipestilentialium

lium & antisepticorum, præsertim si hæ plantæ in vino cum magna aquæ copia diluto infundantur, & postea Melle edulcorentur, vel addatur Hordeum & Oxymel tantum, ut æger aciditate non offendatur, maxime hic conveniunt succi Citri & Limonum, sic extrinsecus parte dispofita tentabo materiam per sudorem expellere, hoc vidi in juvene, cui mens erat sana, mire juvisse, sed plerumque prius delirant aut furunt.

§. 887. Restat inquirendum, quomodo Pleuritis transeat in mortem, qui est exitus frequentissimus.

Pendebant. Id est magnus ille dolor subito tollitur, hæc sunt signa jam imminentis gangrænæ, hinc Medico est attendendum, ut recte suam sententiam ferat, nam æger videtur se bene habere, corpus libere movere & mente constare, sed vix quadrans horæ præterfluit, quin æger moritur cum perturbatione amicorum & ignominia Medici, si ægrum non esse in periculo dixerit; hinc in hoc casu ad pulsum bene est attendendum, si sit bonus, æger sanabitur, sed si vacillans, deficiens quasi nimis velox cum frigore extremorum æger brevi erit moriturus, & eo periculosius decumbit æger, quo magis felicia promittuntur per alia signa; hoc etiam aliquando contingit in morbo Iliaco & pessima Dysenteria, sed tunc tamen brevi morietur.


§. 808. Causa mortis in Pleuritide videtur esse gangræna, quia sanguis spissus in pulmonibus attenuatur, & æger præ doloris metu non respirat, sanguis in pulmone colligitur & fit Peripneumonia, unde statim suffocatur æger, in dissectis Pleuritide mortuorum cadaveribus inve-

venitur sanguis coagulatus in dextro corde ad fines arteriarum pulmonalium.

§. 899. *Cur superaccidat?* Hoc fit ex duplici causa 1. ob vicinam loci inflammationem, 2. quia æger metu doloris animam retinet, quæ est causa Peripneumoniæ.

Lenibus Quia in his, si fiat pleuritis, causa debet esse maxima, adde, quod in his sanguis non ita mitti potest ut in aliis. Puerperæ utrumque simul vix ferre possunt, nempe inflammationem ad uterum & ad pleuram, gravidæ enim non possunt respirare per abdomen, sed tantum per costas, verum dolor pleuræ hoc inhibet, unde cito moriuntur.

Cur thoracicis &c. Illud in multis Asiæ & Italiæ locis est Chirurgicum remedium, dum ægri summopere dolent, sumunt fasciam latam, & constringunt thoracem & foveas linteis carptis implent, hac adstrictione efficiunt, ut thorax una cum pleura inflammatus per exspirationem minus dilatari possit, & æger per abdomen respiret, sed in hac dilatatione tantum cita destructio impeditur, hinc si non cito adhibeantur alia remedia, tanto citius in gangrænam & pus abit, licet dolor non sentiatur, ideoque est fallax remedium, hinc his remediis quidem uti, sed non confidere licet.



Paraphrenitis.

§. 900. Φρὴν dicitur mens vel veteribus anatomicis loca diaphragmatis vicinia, hinc diaphragma ipsum ita est vocatum; veteres vocarunt

sunt Paraphrenitidem, quia multi animæ sedem esse in diaphragmate putarunt, aut quia inflammato diaphragmate cito supervenit Phrenitis, est ergo Paraphrenitis acuta inflammatio diaphragmatis sive in parte superiori ad pleuram sive in inferiori ad peritonæum vel in carne vel in nervis.

Occupat. Docuit olim *Eustachius*, hodie Clarissimus *Ruyschius*, quod totus musculus diaphragmatis usque ad centrum penetret arteriis phrenicis accedentibus ramis intercostalium.

Dirus. Nam costæ diu comprimi possunt, ne moveantur, diaphragma vero necessario est comprimendum, & in exspiratione producit iterum dolorem intolerabilem.

§. 901. Quam pauci sunt Medici, qui rogati, quem decursum habet diaphragma, nemo dicet; novimus, quod diaphragma ad costam quintam ascendat, & quod descendat ad ultimam dorsalium; secundo est tam latum ac homo, nunc Medici non putant, quod morbus, qui tam diversa loca & tam diversas sedes occupat, sit unus morbus, hinc putant sæpe esse dolorem ventriculi, renum, coli, hepatis, intestinorum, pancreatis, qui morbus tantum est in diaphragmate.

§. 902. *Continua.* Nam omnes inflammationes fixæ habent pro charactere febres non desinentes.

Dolore. Quoniam musculus diaphragmatis est tendinosus, circa omnes partes & in medio, hinc ejus centrum est totum carnosum & fibrosum, hinc cum hæc pars sit fibrosa, & tensa, nusquam est atrocior inflammatio, unde dolor est pungens, ardens, & lacerans; si sit

ſuperius ad coſtas, putabitur eſſe Pleuritis, ſi ad abdomen, creditur eſſe in ventriculo, pancreate, omento, hepate, dum interna eſt Paraphrenitis. Cognoſcitur ibi hærere inde, quod in omni actione, qua diaphragma ſurſum vel deorſum trahitur, ſit dolor maximus in reſpiratione, tuſſi, dolor maximus in ſternutatione diaphragma dilatat pectus & dein contrahit, unde tum ſummus dolor ex eadem ratione oritur, ſi in nauſea, vomitu &c. auctus ſit dolor, hoc ſemper notat inflammationem in ſepto tranſverſo. In his mira & vix imitabilis eſt reſpiratio *Hippocoati* dicta, in ſublime ad ſuperiora trahunt pulmonem, ut caveant impingere ad diaphragma, delirium ſemper à diaphragmate affecto ob multos nervos à vago intercoſtali, huc recte tendentes; hypochondria retrotrahuntur, ut diaphragma ad ſuperiora vel inferiora trahi multum opus non habeat, introrſum tracta ſunt hypochondria, quod eſt unum ex perpetuis hujus mali ſignis. Quo inflammatio eſt major intra corpus; eo violentior & citior fit motus diaphragmatis; quia dimidium noſtri diaphragmatis eſt tendo pellucidus, unde tam facile ibi fit dolor, inflammatio & gangræna.

Riſu Sardonico. Hic riſus violentus fit à mala diſpoſitione cerebri, Sardonicus dictus eſt à Sardinia Inſula, ubi creſcebat herba nobis jam dicta Apium, qua comſta homines incidunt in riſum cum convulſione; hi ægri habent convulſionem circa muſculos levatores labiorum, & muſculi in hiſce caſibus moroſi ſunt, qui has partes deprimunt; circa diaphragma vulnerati vel contuſi ſemper riſum Sardonicum habent.

§. 903.

§. 903. Omnia sunt eadem, ac in Pleuritide, sed ob motum perpetuum aliquid singulare hic oritur, hinc hæc pars inflammata pejor est, tamen ejus motus est necessarius ad vitam; & dolor maximus adest ob membranas tendinosas, unde malum exasperatur, est enim diaphragma in suo medio membrana nervosa, pellucida, sensibilissime tensa instar chordæ musicæ, at si hæ partes inflammatæ in respiratione semper extendantur, tum dolor fit summe turbans cerebrum, unde oritur delirium; hinc ob situm, motum necessarium & structuram omnia hic pejora sunt.


Ascites. Multos homines vidi dolore immani cruciatos, qui postea nil mali habuerunt in visceribus; sed totum abdomen pure plenum fuit, sed hic vomica in diaphragmate fuit deorsum rupta, si vero in thoracis cavo rumpatur, oritur Empyema.

§. 904. Hic omnia ut in Pleuritide sunt agenda, videndum est, an morbus curari possit per se resolutione, sputo, coctione, tum hæc promovenda sunt, sed quædam, quæ in Pleuritide commendavimus, hic fieri nequeunt, scilicet inustio, emollitio, eductio, quæ ob locum hic institui vel tentari nequeunt. Clysmata mollia ob loci vicinitatem valde juvant, quoniam faciunt balneum internum, hæc omni hora sunt injicienda, & tamdiu donec viscera fiant Paralytica, nam ad tonum facile restitui possunt.

§. 905. Hoc fit post inflammationem diaphragmatis, apostema, quod plerumque rumpitur, evacuatur in cavum abdominis, unde pus exit, quod quotidie augebitur, acrescit, & putrescit, hinc viscera abdominalia mollia, ibi

ibi hærentia hepar, splen & pancreas corrumpuntur & intestina eroduntur, omnia macerantur, quasi coquerentur in lixivio ex urina fætidissima confecto; Medicus in hoc casu quidem palliare potest per antiseptica seu putredini resistentia, sed nunquam curare potest, ergo Medici vocati ad morbos abdominales cogitant in diaphragmate esse inflammationem, nec in remedia calida tam proni sint.

§. 906. Dices, an nil potest ars? respondetur vix aliquid imo parum, sed incertissimum est, dummodo sciatur, 1. esse abscessum, 2. hodie rumpi, 3. cadere in abdomen, sic haberetur aliquid auxilii, nempe quatuor digitis ab umbilico abdomen est pertundendum, cannula imponenda, pus evacuandum est, sed cum hæc omnia fieri vix possint, apparet fere multum insanabile, ibi enim hæc nimis sero post aliquot septimanas cognoscuntur, jam omnia corrupta sunt, sed si possit sciri factum esse pus, tum abdomen esset aperiendum ut in Ascite, hac ratione pus ibi ut aqua educitur, quo facto omnia sunt agenda ut in Gastroraphia, vide *Caput de Vulnere Abdominis*, hinc mali ejus periculositas, & cura difficilior cognoscitur.



Hepatitis & Icterus Multiplex.

§. 907. Si mihi liceat de propriis scriptis aliquid dicere puto hoc caput esse omnium optimum in toto opusculo, quoniam hic omnia, quæ Veteres de hoc morbo habent, collegi; hoc capitulum est fundamentum omnium mor-

bo-

borum Melancholicorum, Hypochondriacorum &c. Icterus est cacochymia sanguinis humani cum colore biliosô diffuso per totum corpus, non dico cum colore flavo, nam si sit atrabilis, tum color est ater, si bilis sit viridis, tum color est viridis. Sequitur hic inflammatio hepatis, cui semper fere conjungitur Icterus; dabuntur hic dogmata maxime singularia apud alios non invenienda, ad quæ ansam & cognitionem solum duo Auctores *Hippocrates* cum suis commentatoribus & *Bonetus in Sepulchreto Anatomico* dedere: raro de hoc morbo cogitatur, & forte non ita frequens est ob rationes, quæ hic dantur, habet enim hepar exiguam arteriam respectu tantæ molis, ibi positum est, ubi perpetuo movetur, vasaque ejus sunt satis magna, satis laxa, facile resolvitur hoc motu, cur non sit frequens inflammatio per venam portam? quia ejus sanguis fertur minimo impetu, hinc raro fit 1. ob motum, 2. ob pauca vasa arteriosa, 3. ob venam portam laxam, & per eam sanguinis lentissimum motum, adeoque infrequens, nec tam vehemens est inflammatio. Nulla bilis est in sanguine, sed omnis bilis est in hepate, vesica fellis, poro hepatico, poro cystico, ductu communi, intestinis tenuibus, duodeno, jejuno, venis meseraicis, absorbentibus: si nunc bilis deferens, hoc territorium agatur per venæ cavæ radicem, tum totus sanguis fit colore biliosô tinctus, cum bilis naturaliter tantum tingat excrementa. Omnis sanguis venosus ineptus est ad inflammationem, omnis sanguis venæ portæ est sanguis venosus, sed postquam transivit per pulmones, ubi concutitur & compingitur, jam ad finem arteriæ pulmonalis compa-

pactissimus factus, hinc tum aptissimus evadit ad inflammationem, hinc omnis inflammatio in arteriis ab aorta oriundis raro in pulmonicis. Nullus Medicus post *Hippocratem* hunc morbum bene pensitavit, solus *Hippocrates* (licet sparsim) notatu tamen digna huc illuc annotavit.

§. 908. *Ultimis.* Nimirum in arteriæ hepaticæ ramo cæliaco ad dextrum vergente *Clarissimus Ruyschius* post *Eustachium* demonstravit diaphragmatico-hepaticas imo à ligamentis hepatis & à cysticis deferri arterias, hæc quatuor genera arteriarum veniunt ab aorta. In toto systemate vasorum mesentericorum nullæ sunt valvulæ in vasis brevibus, & in cæliacis, vide *Ruyschium* de injectione per venas mesentericas ad arterias usque: hinc patet, quod sanguis pressus retroire possit ex arteriis mesentericis in ipsas venas mesentericas, & inde patet resolutio problematis, quomodo homo vivere possit toto hepate impervio facto & induraro, ut ego observavi, nam inde liquet, quod sanguis tunc in hisce vasis retropelli debuit, hinc illi ægri cum sua hepatitide semper laborant ad mortem usque.

§. 909. Nullum verbum hic posui, quin multis observationibus Anatomicis confirmatum sit.

Obesitas omenti sæpe Hepatitidem produxit, multi Auctores observarunt, quod si armenta in lata pascua ducta maxime pinguescant, tuncque moveant multum, aut ingens æstus oriatur, hæc circumrotentur (vocamus stultitiam boum) & postquam aliquoties sic se verterunt, & boaverunt, cadunt mortua, tum in apertis eorum cadaveribus hepar ruptum invenitur, & mor-

mortis causa fuit, quia oleum omenti circulatur per singulares ductus ad hepar & miscetur bili *demonstrante Malphigio* aliisque, si a nimio motu vel æstu liquescat pinguedo, tum fertur in hepar, obstruit, infarcit & ruptionem hepatis producit; atque in fine morbi oriuntur Diarrhææ magnæ & dejectiones quasi totum hepar esset fuscum, hinc hac ratione solvitur pinguedo, & tum copia olei per vasa epiploica ad hepar defertur, & hepar oleo obrutum non transmittit oleosas partes, & sic vasa obstruuntur ac obstipantur, si equus penitus obesus valido cursu exagitetur, solvitur omentum, obruitur hepar ad crepaturam usque & animal brevi moritur; hinc obesi in calore multum moti sæpe ab hæc Hepatitide moriuntur, aut Ictero liberantur, verum hanc esse causam ipse vidi, sed vix advertitur à plurimis, licet sæpe fiat.

Atrabiliaria. Nempe ex oleo & terra simul junctis, difflata parte spirituosa, & aquosa, quando per cæliaca ad hepar hæc materies atrabiliaria ruit, tum ibi inflammationem producit, qualem sæpe vidi in viris Hypochondriacis multis vectis, currentibus aut æstuosis.

Temperies. Miror sagacitatem veterum, qui nesciverant circulationem; bilis atra vocatur pars crassa fæculenta sanguinis, hæc debet à corpore cum sanguinea massa deorsum ferri & hærere circa vasa cæliaca, & mesenterica, & quidem ex circulationis lege.

Scorbuticæ. Hoc clare patet, quod hic nulla fit vasorum contractio, sed inertia, & simul angustia, hinc ibi fit magna puris collectio, & hoc abit in sanguinem, hinc cacochymia oritur. V. g. mamma exscinditur, scissio non mali facit, sed postea cutis non coit, sed re-

trotrahitur, si tegatur, emplastro glutinatorio, ut pus exire non possit, tum paulo inferius pus aggregatur, & ordinario inde moriuntur ægri, nam pus retrorsum deorsum currit, & it vel in hepar vel in pulmonem; hæc materia liquefacta ruit semper in hepar, quia porta ibi omnia deponit; hinc hepar luit peccata reliquorum viscerum abdominalium.

Calor. Si non accedat calor, tum tantum obstructio orietur non inflammatio, sed si motus à quacunque re accedat, ex obstructione fiet inflammatio; hinc optimi Medici hæc corpora vix movere audent, sed usque ad finem sensim removere tentant.

Bilis fiet exusta. Quia violentia circulationis orbatur partibus subtilibus, & in omni violentiori motu semper fit acerrima, si ergo per febrim Ardentem sanguis fit acrior, eo fiet acrior bilis, sed cum bilis fit omnis humorum corporis post urinam acerrimus, eo acrior fiet cæteris paribus ac sanguis &c. unde producet erosiones &c. in hepate.

Lapis. Concrescit sæpe intra hepar, cystim, ductum biliarium vel communem, lapillus, qui si magnus congestus impedit omnem humoris transitum, humor accumulatus movebitur & arietabit in lapidem, hac ratione facit inflammationem, hoc sæpe fallet Medicos; sunt, qui certis temporibus, postquam ederunt alacriter, laborant dolore, anxietate, torminibus summis, nausea, vomitu, postquam malum aliquantulum duravit, abit, sed postea fiunt ægri Icterici, hoc semper à lapide esse factum inveni, ubi fibræ tandem adeo irritatæ produxerunt nauseas, vomitus, tormina, unde bile tum per venam cavam regurgitante fit Icterus in

in hoc millenis experimentis confirmor, sed calculus per se non lædit, sed quatenus movetur, nam si ibi hæreat calculus in medio hepatis & vomitorium à Medico præscribatur, vel si æger ab alia causa vomat, tum hepar comprimitur, & margo calculo vicinus conteritur, unde oritur inflammatio, quæ etiam ab alia causa oriri potest. Hoc etiam observavit *Sydenham in Tractatu de Passione Hysterica*, sed ignoravit causam; si scirrhus adsit, vasa vicina recipient attritum, unde inflammatio circa limbos scirrhi orietur.

Potum. Nam hepar ventriculo incumbit, hinc si homo æstuans gelidum potum bibat, tum sanguis in hepate copiosissimus frigescit & coagulatur.

Natationem. Homo, qui in æstuatione à venatione redux in flumen se contulit antea sanissimus, jam vero totus ictericus factus est, & sic per totam vitam mansit; idem fieri potest à vino & motu, aut si per rimam frigidum ventum accipiat æger, inde facile Peripneumonia vel Hepatitis producitur.

Sitis. Nil pejus est, quam non bibere, nam tum sanguis fit crassus, de natura etiam sanguinis crassi est, quod non in caput, sed in hepar tendat, hinc multi milites pereunt in magna siccitate, ubi vix potum accipere possunt, nam multum laborando sudant, & sic liquidissimum avolat, hi tum accipiunt dolores ad latus, fiuntque Icterici, qui morbus, si adhuc sit levis, Dysenteria sæpe absolvitur. Hoc observavit *Hippocrates* in messoribus, viatoribus æstivo tempore, quibus si sanguis inspissetur, per hepar non transit, sed ibi accumulatur.

Febris

Febris &c. Semper fere desinit in hunc morbum, hinc quibus non satis potus in febre Ardente datur, si resurgant, diu circa hæc loca se male habent, hinc pessimum est tum à potu abstinere; ego ipse à Medico solis sudoriferis olim curatus sum à febre Ardente, sed diu ibi circa hepar dolui, hinc credo plurimum peccare eos, qui in aëre calido versantur & non potent, sed tamen non fiat nimis cito, nec larga sed parca simul potatio.

Summæ animi perturbationes stagnationem faciunt, hinc polypos creant in maximis vasis ante cor, in sinibus venosis hepatis, falciformibus cerebri, redeunte per periodos Ictero; talem vidi in mercatore, cui nunciabatur eum perdidisse navem & omnia, cui perturbato paulo post oriebatur Icterus, emarcuit, & mortuus est à scirrhoso hepate.

Vomitoria. Nil periculosius est, quam dare vomitoria, quando nescimus, an humores sint meabiles nec ne per sua vasa, notandum igitur, quod si in Ictero à calculo excitetur vomitus, & tum si calculus brevi exire posset, optime, quidem succedet, sed si non descendere possit calculus, tum vasa in hepate rumpuntur & pessime cedent vomitoria; omnis enim sanguis abdominis tunc maximo impetu projicitur in venam portarum, adeo ut sanguis eat in minora vasa lymphatica, unde errore loci fit inflammatio.

Mala hypochondriaca. Nam si totum systema arteriosum, vel si arteriæ mesentericæ & cæliacæ obstructæ & sanguinem crassum non transmittant, tum ubi hæc sanguinis crassities solvitur, & it in hepar, Prima sedes horum malorum est in ductu zigmoidio, utrumque scilicet

cet, secunda in hepate, ubi fiunt morbi Chronici & Icterici.

§. 910. Hepatitis habet 1. causas communes reliquis inflammationibus, 2. prædisponentes in hepate, 3. varietatem causæ alius morbosæ, hinc ille morbus mirifice varius est; quo mala, ex quibus hic morbus ortus, pejora, eo morbus quoque pejor, si simplex sit inflammatio, spes est facilem fore curationem, si ab atra bile sit; vix ulla spes superest, si ingens febris lethalis hoc semel vidi, aliter non ex *Hippocrate* hæc dicta de hoc morbo intellexissem.

Pellentis. Unde si dicta diathesis in materia atrabiliaria obtineat maxime cavendum est à vomitoriis.

§. 911. *Tumorum elevat*. Quo plus tument vasa sanguinea eo plus comprimunt vicina minora vasa, quæ compressa inflammantur, & hoc se magis ac magis ita extendit, ut tandem maxime tumeat hepar.

Eadem. Hæc est margo tuberculi iterum inflammatur à tumore comprimente, hujus vero margo ob tumorem marginis præcedentis inflammatur, & hac ratione inflammatio serpit.

Dolet. *Demonstrante Ruyschio* arteriæ phreniticæ multos ramos ad hepar dimittunt, proinde hepate inflammato arteriæ phreniticæ & hepaticæ inflammantur; hinc diaphragma laborat, unde sæpe cito fit Paraphrenitis & mors, Hepar est vasculosum, hinc ejus inflammatio vascula obstruit, sistit triplicia liquida, sanguinem arteriosum, venosum portæ, biliosum absorptum forte à venis mesentericis, unde in tumorem elevatur, & inflammatione loca vicina tenera hepatis comprimuntur, in loco com-

compresso iterum fit similis inflammatio, hinc increscit hepar, ut totum fere abdomen sæpe occupat, ventriculus hepati subjacens comprimitur & impeditur, ut inflato ventriculo dolebit, distento ventriculo omnis ejus sanguis fluit in hepar.

Omnem cruorem impedit. Hoc inde sequitur, quia solum hepar omnes humores harum partium transmittit, hepar enim non solum peccat sibi sed pluribus aliis partibus, sanguis totius fere abdominis evacuatur per hepar, quo omnis circulatio jam pervertitur, & depravatur; hinc icterus quibusdam dictus Regius Morbus vel Morbus Auriginosus, in quo oculi tunica alba & tota cutis flavescit, ille oritur, si bilis à sanguine venæ portæ secerni impediatur, hinc materia biliaria abit in venam cavam, transit per cor, & miscetur sanguini ad glandulas subcutaneas facit lympham, & serum flavum, hinc ubi lymphatica vasa ibi flavedo fieri debet.

Lymphaticum. Quamvis lymphatica hepatis non inserantur hepati, sed tendant ad alvum, chyli, attamen quia comprimuntur à vasis sanguineis vicinis inflammatis impeditur in illis fluxus lymphæ,

Circulatio bilis est ex cavo intestinorum in venas mesentericas minimas, unde secundo in venam portæ, tertio in ejus ramos per hepar, quarto in suum ductum ad intestinum Duodenum, & deinde ex intestinis rursus in hepar & sic porro per easdem vias citatus; hæc est tantum via circulationis bilis.

Actionem invertit. Deus enim in hepatis venis nec in arteriis valvulas fecit, hinc sanguis motu inverso ire potest.

Effe-

Effectus. Vidi oculis meis & manibus tractavi ægrum, qui in tota vita Ictero omni mense redeunte laboraverat, nam per tres septimanas æger se bene habebat, sed quarto vomitu violento vexabatur, & tum iterum sanabatur, & iterum eodem modo redibat usque ad ipsam mortem, in ejus cadavere post mortem aperto inveni ductum choledochum calculis obstructum, unde dolor, totumque malum oriebatur, antequam vero vomitus fiebat, oriebantur murmura, & tum sequebatur vomitus color æruginosus, urina aurea, hinc re expurgata sensim abibat, & post collectionem iterum redibat, hocque hic factum est bile retrograda, si vero calculus solveretur, tum oriebatur sanguinis ut & lymphæ deturbatio, & totus homo atra bile flavus fiebat.

Putrefactio. Nam bilis est sapo attenuans & in liquidum subtile humores convertens & sic viscosum tollit; Hydropem & putrefactionem producit, ut clare in illa veteri incola in nostro Nosocomio explicavi.

Mala. Bilis sanguini mista eum maxime fluidum reddit & resolvit in aquam pergentem in Hydropem, contra quod vulgo putatur, nam dicunt bilem sanguini mistam creare obstructiones per viscideitatem.

§. 912. Exitus hujus morbi est triplex ut in alio morbo. Sanatio vocatur mutatio morbi in perfectam sanitatem.

§. 913. Sanatio fit per naturam vel artem, per naturam, quando in corpore talis est status, ut materia morbosa possit solvi sine ullo alio morbo residuo, nec inde recursuro; morbus solvitur diaphoresi, vel resolutione vel crisi seu coctione benigna.

§. 914. Resolvitur, si materia sit recens, nondum acris, ut rodat tenera & friabilia hepatis stamina, si lenis & reliquæ conditiones ante jam dictæ adsint. Ut si v. g. quis febre laboret, ubi color croceus & urina crocea adest, tum fit bilis resolutio, si nunc talis homo habeat talem urinam, & colorem flavum imprimis in oculis & labiis, ubi vasa sunt nudissima, tum scimus Icteri præsentiam, jam vero definiendum est, an hic aliquid sit agendum an non? hoc sic judico, si fæces adhuc sint tinctæ, digestio & omnes functiones utcunque bonæ, tum spero resolutionem, si vero contrarium adsit, nempe si urina valde sit tincta, digestio nulla &c. tum inflammatio abit in suppurationem & scirrhum &c, hinc tunc ars succurrere debet; huic ægro non dabo cibos, qui requirunt bilem, ut temperent, non dabo juxta sententiam non nullorum potus, qui faciunt materiam fluere in corpore, ut Crocus, hæc quidem circumeundo per cutim materiam expellunt, sed morbum non sanant, dabo vero decoctum seri lactis cum Acetosa, radice Graminis, & fomentis similibus, locus tegatur, clysmata injiciantur, ut interne balneum &c. si vero fortiter purgetur æger, plerumque inde male se habebit, potus diluens cum nitrosis maxime convenit, uti & balnea, hæc cum leni motu & frictione maxime promovent, frictiones repetitæ summopere prosunt, quia hæ urgent humores, & eorum transitum juvant. Erat Amstelodami Æthiopissa sanans malum hypochondriacum, dicebat se habere unguentum specificum, quod applicabat, sed semper simul fricabat ad latus dextrum, sic curatio vulgo adscripta fuit vi pe-

ne-

netranti unguenti, sed frictio hoc efficiebat, vid. *Galenum de Usu Frictionis.*

Solvendo per Saponem Venetum, per mel recens cum pauco Vino Rhenano aut simplici aceto aut per succos saponaceos ex omnibus herbis pappescentibus lactescentibus Cichoreis, vel ex succis Horæorum ut ex succo de Baccis Sambucis, Cerasorum &c. tum potissimum ex succo recenter expresso Graminis. Hæc etiam tum semper leniter movent & apponenda sunt primo per epithemata &c. veteres tales ægros in balnea deducebant & nos idem facere possumus per epithemata, fotus, potus, clysmata, ut omnia exteriora & interiora laxentur.

§. 915. 1. Adfui in tali casu domicellæ, cui post ingentes dolores hepatis, ardorem, & sitim, incepit fæx alvina deponi flava, sanguinea, biliosa; alii Medici putabant esse Dysenteriam, & dare volebant antidysenterica, sed ego obstiti, unde curata est, sed hoc fieri debet ante quartum diem. In hoc casu dabo decoctum Lini Cannabini seminis, decoctum Filicis &c. ut & Saponem Venetum. Fæces inspectæ exhibent strigmenta sanguinea interspersa & sunt glutinosa & hoc idem contingit in hepate ac per sputa ex pulmone, itaque hoc est bonum signum notans materiam resolutam huc ferri.

2. Hoc etiam ante quartum diem fieri debet, ne abeat in suppurationem, nam ante illum diem obstructio sensim potuit dilatare vascula versus intestinum duodenum, ut materia evacuetur, & per urinam exeat; hoc etiam denotat hanc materiam resolutam per renes excerni, de hæc re in Peripneumonia & Angina dixi.

3. Solus *Hippocrates* hoc annotavit, unde mire torquentur interpretes & commentatores, sed nil obſcuriratis habet, nam oritur, quia lien eſt multo facilius dolore afficiendus quam hepar, & ſuccum dimittit per hepar, itaque hepate male affecto intumeſcit lien & fit hebes, verum ſi hepar incipiat liberari & fluxus fieri per illud, tum lien quoque intumeſcere incipit, & hinc tandem dolore afficitur, ergo fluit ſanguis, antea vero nervi erant ſtupefacti ob vaſcula nimis eos diſtendentia jam vero paululum ſoluti dolent; ſi vero ille dolor accreſcat, ut bene notat *Hippocrates*, tum lien ſuppuratur.

4. Hoc *Hippocrates* dicit, an forte putaret, quia eſt hepar dextrum, ſaltem obſervatio id confirmat.

5. Nunquam ſudor eſt flavus, fœtens, viſcoſus &c. ad diem quartum in hoc caſu, quin hoc ſit bonum ſignum, ſi alia ſigna adſint, nempe ſi ceſſent ſimul mala ſymptomata.

§. 916. Primum ſi fieri incipiat, dabitur optime ſerum lactis, quæ eſſentia Graminis, Bellidis, Cardui Pratenſis, Acetoſæ Pratenſis, nam hæc quatuor imprimis vaccarum pabulum ſunt, & maxime hic conveniunt vi diuretica; ſi dolor ceſſet, frictiones ſunt adhibendæ, optime conducunt clyſmata deſumpta imprimis ex Cichoreis, Endiviis, Chondrillis, Sonchis, Lactucis, Traxacis, Scorzoneris, ex his parari poſſunt Epithemata & decocta cum pauco Rhabarbaro.

§. 917. Eadem fere diuretica hic ſunt optima; ſerum Lactis æſtate optimum, Hyeme vero non bonum, tunc enim potius exſiccat, quia vaccæ veſcuntur fæno.

§. 918.

§. 918. Materia deposita est ad transfluendum, hinc nullus sit potus calefaciens, inflammans, stimulans, sed omnia lenia & saponacea, quo optime faciunt clysmata, nam colon replere est verum fomentum hepati, pancreati & spleni ad latera, hinc calore semper sit plenum, ne aliquid remanens scirrhum faciat, unde dein oritur morbus hypochondriacus & melancholicus. In hoc morbo hepatico fit dolor pulsans circa dextram partem, cavendum tantummodo; ne ullum frigus accedere possit hepati, nec etiam calor nimius, qui materiam morbosam accendere posset.

§. 919. Si adsit dolor capitis circa frontem, si oculi rubeant, & nasus dexter titilletur, & nonnunquam gutta sanguinis, tum fomenta ex Lacte calido sunt applicanda, si non nimis fluat sanguis, tum decoctum ex Salsaparilla, Lactuca &c. sumendum, in hunc finem optimæ sunt spongiæ humectatæ fronti applicatæ, ut faciebat *Hippocrates*, juvat & vapor aquæ calidæ, si Hæmorrhagia fiat nimia, tum illa est sistenda, nunquam hoc mihi fefellit sequens:

℞ Vitrioli communis ʒj.
Aqua simplicis ʒiv
M.

Postea fumo mantilia vieta ex crassiori filo (Belgice *servetten*) inde facio turundas conicas ad crassitiem dimidiate digiti minoris, ad longitudinem minimi digiti, & tunc flexili stylo tenui plumbeo vel argenteo vel calamo scriptorio has circumpono, hoc facto tingatur extre-

mum turundæ circumtortæ tubo plumbeo vel hoc plumaceolum calamo exceptum huic misturæ, mensurando extrinsecus longitudinem nasi, tunc impono naribus sursum horizontaliter juxta ductum palati pergendo, id est, parte qua retinetur, intra manum paululum elevando, postquam jam ad illam altitudinem oculorum mensurata perventum est, verti debet interne versus medium nasi, ut tangat arteriolam sub Crysta Galli stillantem, deinde æger clausis naribus exspuat, si nil sanguinis veniat, sanatio facta est, hac mixtura ilico Hæmorrhagia sistitur, tunc penna extrahitur, plumaceolumque relinquitur usque ad tertium & quartum diem, quod postea sponte à natura separatur. In hac operatione tantum est cavendum, ne ad ossicula spongiosa etiam arteria lædatur.

§. 920. Hoc facto sudores non uno momento sunt movendi sed lente sustinendi, nec sanguis obruendus, ut per hos sudores exsiccetur, itaque non una vice magna copia diluentium est adhibenda, sed corpus sensim replendum est diluentibus, abstergentibus, & aperientibus, si nimis fluat sanguis & sudor continuetur, ut determinem, dabo lenia sudorifera non calida, Diascordium Theriacalem Philonii, sed non aquam, detur aqua cum Lactuca, Scorzonera, Sonchio, Taraxaco, Tragopogone, Hieracio, Radicibus quinque Aperientibus, Fumaria, vel similibus hepati, quasi propriis saponaceis medicamentis, coquentur & potentur ingenti copia, si materia diffluat, ille morbus tollitur, nempe si febris adhuc adsit, aliter nimis serum est.

§. 921. Si æger à morbo Acuto Ictero laboraverit, tum omnem materiam ex hepate solvere

vere debemus, hoc vero factum esse scimus, si urina per tres dies non habuerit flavedinem, si oculus nec labia microscopio appareant flava, si excrementa naturaliter flava, si in motu paulo majori non sentiatur dolor ad hypochondrium dextrum, tum nil materiæ remansit, & salvus est æger, si vero color flavus remansit, & pondus sentiat æger tum æger non est relinquendus, nam aliter abibit in scirrhum.

§. 922. Si in febre Acuta valida dolor inflammatorius, punctorius ardens ad locum hepatis & diaphragmatis adsit, hypochondria dura extrorsum pressa, cutis flava, albedo oculorum flavescens, tum adest Hepatitis, tum cavenda est suppuratio, hocque fit per venæ sectionem, sed tamen hic nulla fieri potest revulsio, ut in pulmone, verum hoc nimiam vitæ vim infringit, postea per clysmata & fotus partes sunt emolliendæ, hinc saponacea diluentia & putredini adversa conveniunt; *Galenus* notavit, quod si acutissimus dolor adsit, tum sæpe ex peritonæo materia externe rupta deponitur, quod si vero in medio hepatis hæreat, tum dolor est obtusus & morbus pejor; considerandа tunc est magnitudo symptomatum & degeneratio functionum, quæ tunc in corpore fit, tum igitur vis vitæ est minuenda, mittatur ergo sanguis, donec dolor non amplius urgeat, & febris utcunque sit remissa, secundo statim injiciatur clysma ex Tamarindis, Taraxaco minutissime conciso in sero Lactis recentis decocto, vel in aqua pura, inde parabo clysmata & potum diluentem, qui etiam instar saponis absterget; hinc veteres omnes ad plantas amaras lactescentes recurrunt; Cichorea, Endivia, Taraxaca, recentia optima, magna co-

pia non in syrupis, sed, meris decoctis v. g. radices Graminis, Taraxaci sumantur ad partes æquales nempe ad duas libras, & coquantur in quantitate sufficiente aquæ puræ, tum colatura adhibetur pro potu ordinario. Tertio utatur epithematibus, fotibus &c. optimum etiam est Nitrum Stibiatum, Stibium Diaphoreticum vel Sal Polychrestum cum syrupo de Fumaria, de Cichoreo cum Rheo vel syrupo è quinque Radicibus Aperientibus.

§. 923. Omnes febres Autumnales inflammatoriæ, malignæ vomitum facientes, Acutæ fere sic hærent; signa sanationis sunt, fex non flava, sed cocta figurata, naturali colore & urina bona, oculi albi, hinc scitur abesse Icterus. Symptomata sunt gravitas, anhelatio, dolor in loco &c.

§. 924. Secunda Icteri species curatur, ut secunda Pleuritis, & per se est lethalis vel abiens in alium morbum; hinc maxime errant Practici Icterum nunc describentes & generalem curam & universale medicamentum, unus laudat pulverem Martis, alter Camphoram cum Croco, tertius aliud specificum, sed quilibet Icterus, quilibet ejus gradus aliam requirit curam.

§. 925. *Bonum pus.* Quia totum hepar constat textura vasculorum, hinc nata ibi suppuratio omnia illa vasa corrodit & facit ichorem hepaticum, unde suppurationes hepatis tam pessimæ sunt, nam non potest lente procedere inflammatio, ut fieret, si ibi adesset pinguedo, ut in multis aliis partibus; denique nunquam fit suppuratio in magnis arteriis, sed in capillaribus, hepar quasi spongia sanguine tumet, quod ruptum est, sanguinem accipit, hinc potius fit ma-

materia ichorosa putrefacta, vel amara (ut dicit *Hippocrates*) quam album pus.

Putredo plerumque talis oritur, nisi inflammatio aliquando tantum fuerit in exteriori parte, hinc distinctio inflammationis oritur in parte media vel gibba; gibbam bonam dicit *Galenus*, at in media si facta sit suppuratio, funestus erit exitus. Hoc vidi in moderate viventibus & lubricantibus, uti & in otiosis domicellis.

§. 926. Prævidetur futura hæc suppuratio ex signis sequentibus.

4. Omnis quippe inflammatio, quæ stat, nec retrograditur, habet febrim violentam non pessimam, dolorem non summum sed increscentem, si duret ultra triduum suppuratur,

§. 927. Tum scimus suppurationem fieri, nec resolutionem esse sperandam.

1. Hepar enim est valde friabile & digitis conteri potest dempta membrana exteriori & crepat in cadavere violenta morte exstincto. Vires tum deficiunt, ut fortissimus quisque nullas vires habeat, tum jam nata est suppuratio.

2. Tumore sub hypochondrio dextro sub costis spuriis.

3. Præcipue si dolor remittat, & si tumor & pondus in loco.

4. Nam homo, qui ulcus habet in hepate est debilissimus & valde sitit, vidi enim puerum ebibisse pintas una quaque hora, & debilem admodum fuisse.

§. 928. Effectus suppurati hepatis sunt sequentes.

1. Substantia hepatis quasi sponte friabilis est, latera apostematis facile eroduntur, hinc totum

tum hepar corrosivum corrumpitur tunc membrana hepatis, quæ aliter tam tenuis est, fit crassa & dura & hepar tumet.

2. Aliquando per rupturam stillat pus in cavum abdominis, quod ibi accumulatum creat Asciten purulentum quem comitatur Tympanitis, tunc enim idem fit ac in Paraphrenitide, licet Icterus maneat, si abdomen post mortem ægri aperiatur, tum subcæruleus apparet putrefactus liquor, ut aliquoties vidi.

3. Aliquando materia apostematica aperit oscula minima vasorum biliosorum ad ultimas radices, hinc transit in intestina per ductum communem, corrumpit omnia intestina, tum ex Diarrhæa moritur æger, & fit Dysenteria hepatica, hæc est duplex, dum hepar pus suum expurgare debet, si purget hancque bonam dejiciat materiam, sed si ille fluxus perpetuus fit, malum est signum, nam hepar tum consumitur.

4. Ab hac cacochymia ichorosa creatur perpetua sitis, nam materies ichorosa tunc retropellitur aliquando in sanguinem per venam cavam & fit febris Hectica pessima, pejorque quam si oriretur tantum pure, nam quod refluxit in sanguinem, est ichor pessimus, unde oritur Phthisis.

5. Sic si abscessus externe rumpatur, sæpe ægri sanantur, hoc sæpius externe fit, ut semel vidi in Pleuritico; tubercula externe vidi orta, quibus ruptis magna puris deposita copia, æger feliciter sanatus fuit, *Galenus* dicit ad gibbam exeso concreto fit sanatio.

§. 929. Fit Tabes, id est, Atrophia, marasmus, exsiccatio totius corporis, Tabes lenta, non tam cita, quam pulmonalis, Icterica, id est,

flavi

flavi manent ad mortem usque; urina fere nigra; nam totus sanguis hac amurca inficitur; hinc Tympanites, quia vapores horrendi elastici exeuntes, quasi vento inflant abdomen, homines, qui per multos annos sunt flavi, assiduo febricitant, nam cacochymia febrim naturalem producit, sitis fit intolerabilis ab humorum putredine; anxietas adest, quia sanguis per vasa hypochondriaca transire nequit.

Tympanitide est tumor admodum elasticus sine materia hærente in peritonæo, tum in eum tumorem pulsus sonum facit.

In Praxi sæpe contingit, ut ægri misere laborent morbo anomalo & habeant Dysenterias, quæ non sunt hepaticæ, sed chylosæ, quia bilis chylo se immiscere non potest. Vide *Vesalium de Radice Chinæ de viro tali morbo laborante*, qui subito defecit & mortuus est.

§. 930. *Nullam medelam.* Nisi sint herbæ recentes virides hepaticæ dictæ, antea recitatæ seu fontes medicatæ, si vires ferre possint, nam hæc non agunt nisi per vim vitæ, inde actuosa reddi debent, aliter ægrum suffocant; acida blanda sunt optima, uti & fructus horæi. Hæc Icteri species est lethalis & in hac omnia nil juvant, quæ aliis profuerunt.

§. 931. *Collecto.* Idem ac in Empyemate & Pleuritide, nam hic Vomica depurari nequit.

Ascites est tumor abdominalium à materia intus contenta distentus; est tumor abdominalis instar utriculi inflati factus, & tunc si abdomen percutiatur, non resonat.

Tympanitidem est morbus priori pejor, hic enim omnia vasa ventriculi, intestinorum comprimuntur, & obstruuntur, & sic nutritio non

fiet; *Boyleus* docuit, quod quædam fint corpora, quæ aërem generant, nempe ſanguis & alii humores præſertim ſi putreſcant, & inde fit Tympanitis: materies tunc elaſtica generatur à pure putrefacto, uti ſemper generatur ex materia putrida, tunc pondus non eſt majus cæteris partibus & venter percuſſus reſonat; Hanc vocavit *Hippocrates* Hydropem ſiccum.

Terribilem. Omnia viſcera abdominalia, diaphragma & inteſtina eroduntur, corrumpuntur, & hoc accidit hominibus, qui poſt longum Icterum incidunt in Tympanitidem.

Mors. Nam omne corpus intra fluidum poſitum æqualiter premitur in omni puncto, ſic hic aër in abdomine premit omnia contenta & aër externe reprimit, hinc in prelo hærent vaſa & inteſtina & ideo mors. Hic Icterus vix eſt ſanabilis, in quo ægri tot annis manent, & quo cumcolluctantur cum variis ſymptomatibus, tandem extenuatis fit cutis primo flava, tum viridis, dein atra; & poſtea ægri exſtinguuntur; nec Apollo hic ipſe remedium dabit, niſi ulcus mundetur, & pus eluatur, nil proficitur, quod hic loci fieri non poteſt.

§. 932. Si ulcus adſit in hepate, pus fit quotidie tenuius, rarius, ultimo vaſcula bilioſa erodit, in ea ſe inſinuat, fertur in ſpeciem materiæ ichoroſæ corruptæ, hoc itinere facto, fætidum pus in inteſtina delapſum ſurſum fertur, unde Icterici totam vitam vomunt materiam bilioſam, horridiſſimam, ſitis eſt magna; ægri habent animam fætidiſſimam, ructumque cadaveroſum, & quidquid aſſumunt, ſemper evomunt, niſi ſumma acida devoraverint. Ad inferiora ſi fluat, fit Diarrhæa purulenta, acris materia inteſtina erodit, oritur Diarrhæa colli-

quativa, biliosa; ichorosa; tales Diarrhoici sunt Icterici, sed hæc Diarrhæa non ut Icterus curatur, sed hæret Vomica, quæ se in intestina evacuat, sic ægri consumuntur tali colliquativa vel sursum per vomitum vel deorsum per Diarrhæam & inde cito exstinguuntur. Si tales vomitus, Choleræ vel Dysenteriæ fiant, morbus brevi est lethalis, quod sæpius vidi, oriebatur morbus Acutus, qui terminabatur in Icterum, in quo omnibus frustra tentatis Dysenteria & Tenesmus oriebatur, quem compescere non poteram, & hac ratione hepar consumebatur, sic vidi quoque nonnullos male semper materiam fætidissimam deponere coactos, antequam vero hanc posuerant, instar cadaveris olebant, si tum darentur adstringentia, tum summa anxietas oriebatur, si vero nimius esset profluxus, tum summa debilitas; hinc ille novus Icterus est maxime metuendus, nam si talia vomant vel dejiciant, quidquid agatis exstinguuntur miserrima morte, nam quidquid est sanguinis, illud se huc evacuat quovis momento stimulati cum summo dolore, parum subflavi deponunt, medelam vix capit, solum aliquid efficiunt acida & leviter salsa Diarrhæam promovent, hinc acida meliora, Vinum Rhenanum cum pauxillo succi Citri, Spiritus Salis Nitri, sed omnia putredinem inhibentia pro potu tenui, & leni, ex Oryza, Milio, ex hordæo sunt optima, nil plus nocet, quam pisces, carnes, ova; & similia, nam statim in ventriculo putrescunt, sed acida putredinem corrigunt & restringunt.

933. Si materies putrida in sanguinem feratur, tum sanguis fit cacochymicus & putridus, si vero quid alieni sanguinem ingrediatur,

tur, tum horremus, ut & hic fit, si tum nondum moriantur ægri, tum novus Icterus oritur, qui per multos annos extenditur.

Mors oritur, quando scilicet ichorosa hæc materies exesit fines vasorum in cerebro vel in cerebello, sed antequam hoc fiat, ægri laboraverunt perpetuo Phthisi ichorosa ex hepate.

§. 934. Hanc medelam jam ante clare exposui, hic morbus tamen aliquando in initio curatur, nempe si balneum præparetur victu tenui, & aquis acidulis utatur æger, & si singulis diebus equo vehere sustinere posset, tunc adhibenda sunt ea, quæ non sunt valde acria, sed aperientia v. g. Vinum Rhenanum cum succo Citri & aqua dilutum & copiose potatum hoc maxime prodest, deinde succi herbarum, ut Taraxaci &c. item Aquæ Spadanæ hic multum prosunt.

§. 935. Si post inflammationem hepatis in dextro hypochondrio nascatur tumor mollis, cogitat Medicus hoc fieri ab hepate, pars gibbosa concrescit cum peritonæo, quæ vi respirationis pellitur extrorsum, tum assurgit tumor, simulac hoc oritur, non repercutientia, sed attrahentia, laxantia & emollientia sunt applicanda, v. g. farina Avenæ in Lacte cocta ad finem addendo butyri insulsi aliquantulum, vel ex ipsis recentibus, Cæpis assatis, floribus Althææ &c. tum Melle, hoc cataplasma ponatur ad locum, interne vero maturantia danda sunt, si tum tuber album fiat prominens in acutum apicem, tum in medio est pertundendum tum locus est inurendus lino crudo (ut *Hippocrates* voluit, putabat enim Scalpellum esse incertius, denique sensim urebat, non valide urgendo illas partes) nam alioquin nimis

mis cito effluit, tum cuticula suppuratur, & sensim aperitur, hinc *Hippocrates* linum hic adhibuit; quod antea in fimo torquens contundebat, & postea adhibebat; locus vulneratus porro ut ulcus externum curatur; etiam huic loco applicari potest unguentum Mercurii vel Basiliconis, Arcæi, Trochisci de Minio vel Mercurius Præcipitatus albus vel Præcipitatus ruber, ut profundius exedatur, donec perventum sit ad locum.

§. 936. Æquale pus bonum, album est optimum, specillum non colorans, nam coloraus significat materiam putrefactam, si tale pus exeat, tum certe æger sanetur, hoc enim notat bonam sanguinis diathesin, & quod totum malum hæreat in parte exteriori gibbæ hepatis, & quod intus non sit corruptus; si pus exeat, sumitur sequens remedium.

℞. Balsam, Arcæi ℥j
Myrrhæ cum Vitello
ovi contrit. ʒj
M. F. Unguentum.

Hoc ungentum immittatur vulneri, & imponatur plumaceolum, ne concrescat, non vero turunda, si mundatum sit ulcus, tollitur Balsamo Arcæi & sola Myrrha, quod est continuandum usque ad clausionem. Interne adhibeantur depurantia medicamenta ex sero Lactis cum Acetosa & radicibus Chinæ, Salsaparillæ & lignis Santalinis &c.

§. 937. Si vero tale pus adsit, tum hepar consumitur, quia non detergeri potest, nam est pars friabilis, quæ detergeri nequit; hoc pus est signum, infectum esse totum hepar, nec illud

illud pus inde educi poterit, neque ulcus concrescere, etiamsi extrorsum depuretur, nam nihil Chirurgicis medicamentis est depurandum, nisi quod consolidari possit, atque in his finibus pure repletis perpetua consolidatio fieri nequit; hinc ille ichor amurcosus exedit jecur, unde æger postea consumitur; hoc vidi in duobus Studiosis, ex quibus quotidie exibat fætidissimum pus, & sitis tanta aderat, ut vulneratis à Dipsade, *de morso milite* canit *Lucanus*

Ille vero in Tanaim missus Rhenum potaret,
Sitis exhibat pus, donec consumeret integre
Vix ultimo hærebat pellis ossibus.

Hippocrates, qui hæc omnia observavit, dicit, talem ægrum, si hæc ultima appareant, nunquam servari, si aliquid hic esset sperandum, obtineretur modice acidis frigidis, pauxillo sale, ut putredo inhibeatur, vitandi sunt motus animi vel corporis, sed tamen tales ægros nunquam curatos vidi vel legi.

§. 938. Si icterus, in molestia & dolores aliquamdiu sint sedati, nec tamen omnia Icteri absint signa, postea iterum oriatur dolor ingens, tum fit cancer, ut in cadaveribus exhis dissectis patuit. Ægri, qui laborant perpetuo Ictero & doloribus acerbissimis; circa hypochondrium dextrum & intestina vexantur, perpetuo excernunt ex alvo fætidissimam materiam excoriantem intestina, scirrhus nec cancer suppurari possunt, quia hærent extra vasa circulationis & est tantum in locis glandulosis Scirrhus hepatis sæpe observatur apud *Bonetum in Sepulchreto Anatomico*, quia scirrhus impedit bilis secre-

cretionem, unde æger Ictero laborabit, sed vitam diutissime trahit plerumque fere per biennium vel ultra, multi sunt, qui habent malum Icterum, quem quidem ferre possunt, sed non auscultat his omnibus medicamentis, si dentur lenia, nil agunt, si acria fortiora, oritur Hepatitis, sæpe cancer & mors.

§. 933. Si hæc inflammatio nec in resolutionem nec in suppurationem nec in gangrænam abierit, interim tamen tumore & duritie manente, si tum postea oriatur dolor, tum fit cancer.

Mitissime. Nam si irrites, eo pejor agis.

Vix unquam sanari. Potu tamen, quod si hi ægri continuo sumerent herbas mollissimas, ut Gramen, quod hinc scirrhus aliquando solveretur, nam armenta Hyeme, ut plurimum hepar scirrhosum habent, ut ex laniena patet, hæc vero Verno tempore in pratis immitantur, ubi primo forti Diarrhæa laborant, unde hepate purgato, valde obesa fiunt; hoc nonnulli efficere volunt per acria fortia danda, sed male, & dicunt, non sanari possunt, nisi in horum usu continuent, unde dum hinc fere cadant in animi deliquium; herbæ vero hic convenientes sunt fere omnes ex familia Planipetalorum lactescentium nempe Cichorea, Endivia cum Horæis aquosis, Cerasis, Ribesiis & Cucumeribus cocta; æger nullo cibo viscido, hordeato, avenaceis similibus vescatur, sed decocto panis, cerevisia tenui; caveat se à facile putrescentibus carnibus & piscibus, denique salsamenta & pisces indurati ægro pessime cedunt; æger hoc morbo laborant uti deberes perpetuo & solo sero lactis & balneis, postea frictiones lenes circa has partes sunt adhibendæ, & tum credo, quod

quod ille morbus curari posset; si illi ægri fero lactis uti nolint, tum aquas acidulas assumere debent, & postea ambulare & lenes frictiones circa has partes pati, unde vidi in Praxi optimum fuisse successum in ægro, cui hæc præscripseram; tales Icterici §. 946. plerumque sunt mendici, quos videmus in plateis pallescentes & languescentes: hac ratione scirrhus diu gestari potest, ut globus plumbi, si modo caveatur, ne hepar tundatur à scirrho, sic plurimis annis sine magno incommodo gestabitur malum.

§. 940. Si in parva parte hepatis vel jecoris exigua oriatur inflammatio, tum materia petrifica, quæ in vasa hæret, dat initium & basin calculo, pustulæ, scirrho (liquido discusso) vel abscessui, quæ per se non incommoda sunt, si hic calculus nec à cibis, nec à potu, nec à motu, nec à febre irritetur, sed si sanguis violentius moveatur, tum oritur inflammatio circa scirrhum & calculum, quæ tum in suppurationem vel gangrænam abit; inventum est aliquando, ut totum hepar quasi calculosum factum fuisset; in hoc casu Aquæ Spadanæ rite exhibitæ maxime prosunt, diæta lactis est optima, serum lactis recens expressum jejunis mane potatum est laudatissimum, est enim Essentia Bellidis, Sonchi, graminis &c. hac ratione habetur materia laxans & blanda nutriens, quod remedium mane potetur ad pintam unam vel duas; quibus autem hoc nimis simplex videtur, iis Eryngi, Graminis, Caryophilli, Apii Palustris, Taraxaci, Cichorei decocta dentur, sed optimum est serum Lactis, nam de lacte dempto omni lapidoso terrestri retineo hoc spirituosum detergens, hinc in sero Lactis hæret mira

hæc

hæc vis; hinc videtis, quod hepatis inflammatio in varios morbos abeat.

§. 941. *Nihil.* Si nempe nil per vasa hepatica diaphragmatica per cystico hepatica & nil per vasa hepatica proprie dicta pergat in venam cavam, tum oritur inflammatio, quæ vasa minora comprimit, unde sanguis non transmittitur, nec à sanguine fit bilis, hinc ilico oritur Icterus: homines a vipera icti intra horam quoque sunt tam Icterici, ac si jam per annum fuissent, tum enim sanguis ex hepate uno momento & cum impetu in cavam delatus est simul cum bile. Sic & armenta lætissima in pratis comesto Ranunculo vel alia quadam herba incipiunt intumescere & se in orbem agitare, hinc rustici dicunt, stultescunt & statim moriuntur, tum hepar rumpitur, & in ea cavitate abdominis invenitur sanguis, vero simile etiam hoc ita fit in hominibus à diuturno Ictero subito morientibus.

1. Si insuperabilis fit anxietas, dolor in hypochondriis, sitis intolerabilis, subita huc metuenda est mors.

2. Aliquando etiam non in cavitate abdominis, sed in intestina, quæ dicta potarunt, si ibi minor oriatur resistentia, his hominibus paulo ante abdomen circa hepar tumet, & hic morbus non habebit medelam; si tum ille æger laboret febre Ardente, diras patietur anxietates, nam à vasis ruptis subito morietur; *vide Vesalium de Radice Chinæ*; hoc sæpe accidit vaccis, bobus &c. nam in magno æstu, cum hæc animalia cogantur sumere herbas, quas aliter non ederent ut Ranunculum Pratensem, Caltham &c. tum habent oculos turgidos & paulo ante mortem in gyros vertuntur. *Hippocrates* & *Du-*

Duretus de Hepatitide optime ſcripſerunt, inde patet, Icterum eſſe diſtinguendum in ſanabilem natura vel arte, & ſanabilem abeuntem in alium morbum vel in mortem.

§. 942. *Malignitatis fabulas Produxit.* Hæc vox, eſt infauſto nomine introducta in medicinam, vox quidem non nocet, ſed ubi hæc auditur, ſtatim Medici ad Alexipharmaca currunt, vel relinquunt ægros, prius fatale poſterius neglectio eſt, hos non immerito ridet *Guarini Italus*.

I bateſſe da maligno
Agni malche non intendo.

Medici enim hac voce utebantur & adhuc utuntur, quando ignorant morbi cauſam, ſed hoc nil eſt dicere, nam ſi per malignum intelligunt tantum venenum aut miaſma, hoc ibi non obtinet, ſi vero aliud quid tum eſt explicandum.

Pendent. Hæc omnia ab hepate pendent, unde hoc læſo morbi non fiunt in hepate ſed & vaſis, viſceribus Chylopoeticis & Haimatopoeticis, hinc enim oriuntur tot mala, quot actiones ab hepate pendent, ut ex nimia ſecretione utriuſque bilis & ex defectu illius ſecretionis omnes male afficientur ægri, hinc & inde pendentes functiones.

Triplex. Hinc tum hic citiſſime putredo oritur.

Bilis veſicaria. Tum peſſima degeneratio fieri debet, ſi humores ſtagnent.

Hepatis vicinitas. Hepar fere viciniſſimum cordi ſupponitur, nam ſeptum tranſverſum & ſolum pericardium intra cor & hepar ſunt.

Finibus &c. Hoc enim facile fit, bilis ex eadem

dem ratione facile in cavam transit, hinc fit sanguinis cacochymia.

In cavam. Obstructo itinere in ductu hepatico.

Idea? Hanc rem in toto hoc capite satis dilucide tractavimus, quæ res vix alibi reperietur, inde patet, quare in morbis Chronicis semper sese Icterus admiscet.

Sanetur. Quia sæpe hoc totum fieri potest solo errore loci à nimis agitato in hepate sanguine, sic videmus multos homines post magnum cursum flavescere, quibus vero deinde, si quiescant, redit pristinus calor & sanitas.

Quando? Quando bilis inspissata & glutinescens venit in ductum communem & obstruit, cogitque bilem regurgitare in cavam, quod malum tum purgantibus & fortibus vomitoriis tollitur, nam grumus sanguinis apposuit se itineri ad duodenum, ubi tum materia accreta est, sed purgantibus hæc solvitur, tum Icterus sanatus est, hinc in infantibus hoc sæpe accidit, ut ventriculus sit colostro plenus, si prematur in duodeno, tum clauditur bilis iter & regurgitat, hinc tum oritur Icterus, si tum detur syrupus Cichorei cum Rheo vel Mel Sapone Veneto dilutum, infans sanatur, nam tum materia detergetur, si modo hæreat inductu tum per vomitoria & purgantia facile curatur.

Cur pertinacissimus? Si causa non sit resolubilis, vel si sit à vomica.

Cur sæpe cito? Si nullum vitium sit in hepate & causa inflammationis ingens.

Tarde? Si nempe scirrhus vel calculus hæreat in hepate.

Cur per vices? Vesica si impleta sit bile, eam ob obstructionem ductus biliosi excernere nequit

quit, sed redit in sanguinem, & sic vesica fellis evacuatur, postea vero sensim iterum impletur, hinc idem reditus in sanguinem.

Cur redeat? Omnibus his observavi iter esse occlusum ad intestina; bilis colligebatur, dein sufficientibus viribus roborata & aucta perrumpebat, vomitu ejiciebatur, tum Ictericí fiebant ægri, urinam croceam dimittebant, mox cessabant symptomata, sic rediens & abiens erat morbus, hinc ob stagnationem bilis anxietas oriebatur, donec moriebantur ægri. Aliquando calculus in ductu vesiculæ vel in ejus collo aderat, unde his hominibus bilis accrevit, vasa tum extenduntur, & sensus anxietatis oritur, hinc vomitus, quia bilis retrocedit, tum per illum motum regurgitat bilis in venam cavam, unde tum fit flavedo.

Anxietatibus. Tunc calculus hæret in ductu communi cystico sub vesica fellea & ægri tandem post diu passas anxietates iterum afficiuntur vomitu, tum bilis retrogressa nempe quando accumulata est, effunditur in sanguinem, & magna copia in venam cavam, tunc ægri videntur sibi liberi ab anxietatibus, quamvis toti flavescant, sed brevi post accumulatur nova bilis in iisdem locis, & eadem creat symptomata ac antea, deinde retrograditur, & cessat malum, dein redit & sic porro; tum illi ægri tantum bibere debent succum Graminis recentis pressi una die ad libras, ergo tunc optime curavi hos morbos hoc remedio, quod quidem bobus &c. videmus contingere in pratis, qui per hoc Gramen magna cupia comestum Ictero curantur.

Quid tum denotat? Omnes hi ægri in communi meatu habent obstructionem, in his bilis qui-

quidem ab hepate secernitur, & tum ab hac secreta bile vesica & meatus opplentur, quo ergo hoc receptaculum majus, eo plus recipere potest, & eo plus liberi sunt ægri, si vero jam impleta sit vesica fellis, tum facit anxietates, unde ægri vomunt, sed nil bilis deponunt, & fit vel ruptura in abdomine vel in intestinis, vel recta via adigitur in cavam, tum ægri iterum liberi sunt ab anxietatibus, nisi quod sunt flavi; vesica iterum impleta, eadem symptomata oriuntur, quod falso sub nomine Colicæ à multis accipitur, hunc morbum *Sydenhamus* descripsit, sed eum non intellexit, putavit enim sic generari bilem & esse Icterum criticum.

Cur in acutis &c? Quia notat inflammationem hepatis, post septimum diem abivit vis morbi, nec est exspectanda resolutio, sed tantum scirrhus; hinc plerumque fit morbus Chronicus.

Cur tam inexpugnabilis? Quia hoc notat, materiam inflammatoriam ad resolutionem non esse dispositam, quod malum est signum, nam causa solvens desinit, quia facto scirrho non amplius erit spes resolutionis vel coctionis vel excretionis.

Cur Dysenteria? Quia notat humores tam tenues, ut intestina per hepatica vasa dilata fluere possint.

Cur missio sanguinis &c.? Quia modo demit de sanguine venæ cavæ, qui sanguis non communicatur cum vena portarum, nisi quatenus ut arteria se in eam evacuet, verum quodammodo tum prodesse potest, quatenus resistentiam sanguinis arteriosi minuit.

Cur in omni morbo acuto &c.? In his *Hippo-*

crates

crates nobis præivit, qui semper notat talia & talia fuerunt præcordia & ad hanc rem magis quam ad rithmum pulsuum attendit, & hoc non mirum, nam ubi hypochondria bona, semper bene se habent ægri morbo Acuto laborantes; sanguis nullibi magis per unum vas transit, quam per hepar, & illud viscus est monarcha abdominis, chyli bōni & sanginis, hac œconomia destructa omnia perduntur, hinc illud non est negligendum, potius quam pulsus, urina, lingua & oculi, ut multi Medici faciunt.

Cur color oculorum &c.? Quia ille humor flavus se aquæ sanguinis facile miscet & per minima vasa irrepit, hic vero vasa minima sunt fere nuda, hinc ibi se primo manifestat; vel quia vasa lymphatica serosa & biliosa ejusdem generis bile tum implentur; mirabilis est causa, quod quando fæces sunt albæ, urinæ croceæ & cutis flava, significat Icterum; è contra fæces flavæ, urina & cutis pallida nullum Icterum pronunciant, videtur, quod bilis flava materies plus faciat Icterum, quam illa, quæ à bile hepatica oritur, hinc raro cutis flavedo oritur, sed illa bilis icterica est amara, quæ tum redigitur in venam cavam per multas vias in Anatome demonstratas, sic humor potest refluere, transfluere, sanguineasque partes afficere.

Cur infestent? Quia omnem suum sanguinem venosum dant soli hepati.

Cur afficiant? Si hepar afficiatur, omnia illa loca afficiuntur, quia per illa loca tantum evacuantur; nam si scirrhus hæreat in pancreate, & hepar inflammetur, tum oritur cancer pancreatis, quoniam hujus sanguis in hepar pergere non potest.

Cur

Cur jecur tam immensum? Quia si lenta fiat evacuatio; & impedita sit, tum tumescit ob vasa hic valde laxata & extensilia.

Augeri. Quia ob defectum ibi valvularum in venis, sanguis in ipsas venas venire potest, & inde tum tumidum fit hepar. Vel quia vix aliquid coërcens corpus invenitur, nam ejus membrana à *Ruyschio* injecta est tenerior epidermide.

Exsiccari? Si duluta sit materia, tum facile profluit & tandem hepatis exsiccatio oritur; hoc ante triennium in Nosocomio ostendebam in homine, qui perfecte habebat contractum & arefactum hepar, in quo nulla rubedo apparebat, nam sanguis per hæc vasa obstructa transire non potest.

Cur Hydrops? Quia omne id, quod facit sanguinem tam tenuem, ut eat in minora vasa, facit Hydropem, hic vero bilis abiens in sanguinem hoc facit; Hydrops vero est seri derivatio in vasa à cordis vi & distantia remota & ibi stagnantia.

Cur ab Hydrope extenuatio? In Hydrope hepar attenuatur, quia sanguis nimis cito transit, hinc fit Diarrhæa: sic aliquando incidi cadaver Hydropicum in quo inveni lien decuplo plus solito tumere, hepar vero contractum & aridum, in abdomine hærebat lympha, ac si esset aqua croci cum summo fætore, in liene vero hærebat, quia ibi non multum resistentiæ est, causa quoque est, quod hydropici habeant lienem multo majorem quam hepar, quia in initio fuit hepar affectum, & sanguis ex liene non admitttebatur.

Cur præ tumido liene? Tum circulatio fit in hac parte ex arteriis in venas.

Quæ Dysenteria hepatica? Est sanguinea, si vasa biliosa tam laxa sint, ut sanguinem permittant, est serosa, si iterum vel instar laturæ carnium sit, tum vomica putrida biliosa in hepate hæret, & mors non procul abest, hinc æger est in magno periculo. *Helmontius* dicit male semper Medicos hic accusare hepar, id quidem ex parte verum est, sed plurimum Tympanitis vel Dysenteria pejor est ab hac causa.



Ventriculi Inflammatio.

§. 943. Duplex hic obtinere potest inflammatio, quarum una potest materiam inflammatoriam reddere venis sibi continuis, altera hanc inflammatam materiam rejicere in ipsum cavum ventriculi, unde fiunt sputa sanguinea, quæ in morbis Acutis tanquam ex pulmoue contingunt. De arteriarum harum binis speciebus vide *Ruyschium in Thesauro secundo.*

Purgens. Tunc si homo v. g. bibere velit simplicem aquam & statim sentiat validissimum dolorem pungentem, est inflammatio ventriculi.

Febris Acuta. Quia sanguis hic magno impetu subministratur per cœliacas, quæ proximæ sunt cordi.

Ingesta, vide *Zwalve de Querelis Ventriculi.* Ventriculi inflammationes præcipue fiunt à nimiis ingurgitationibus, nam quo ventriculus plus cibi & potus recipit, eo plus se constringit, & nil dimittit, ideo arteriæ comprimuntur &

& inflammantur, unde fit, ut post magnas debacchationes homines sentiant magnos dolores, & vomitus habeant perpetuos, unde brevi moriuntur, vide *Sepulchretum Anatomicum Boneti de apertione cadaverum morbo acuto defunctorum.* Homines fuerunt adeo audaces, ut in Peste defunctorum cadavera incidere ausi sint, & deprehenderunt tum adfuisse in ventriculo carcinoma, unde per morbum tam horrendi fiebant vomitus & dolores; hinc signa inflammationis ventriculi sunt 1. dolor in regione ventriculi, 2. exacerbatio in eo puncto, quo quid cibi vel potus assumitur, 3. vomitus post ipsum punctum assumptionis cum singultu, 4. anxietas, 5. febris Acuta continua violentissima.

§. 944. Anatomici nullibi plus offendunt molestiæ, quam in rite explicandis partibus & vasis ventriculi, quia nervi ubique ita implectuntur iis, qui injectiones faciunt, ventriculus quasi mere substantia vasorum apparet, pinguedinem vix habens: nullus morbus acutus sanari potest sine sanguinis dilutione per aquosa, verum in ventriculo inflammato aqua retineri non potest, sed statim evomit æger, ergo inflammatio in hac parte est pessima, nam bibere nec edere nequeunt ægri, clysmata incommoda, quia iis continuatis adstantes putant ægros perdi, denique totum systema nervosum afficitur ex ventriculi nervis affectis.

§. 945. Hujus morbi exitus est ut in omnibus præcedentibus, triplex resolutione vel à natura vel curatione per artem vel transitu in alium morbum, suppurationem vel gangrænam vel in scirrhum vel sæpe inde in cancrum; hinc sanetur (ut jam dictum est) vel per reso-

lutionem vel coctionem vel metastasin, excretionem; coctione sanari potest, quando vel materies cocta venit per arterias patulas in ventriculi cavum, vel per venas arteriis continuas, quæ materia in alia viscera deponitur per metastasin, aut excernitur de corpore, unde in hepar & renes &c. derivare potest.

§. 946. Si Cognoscatur ex §. 951. qualis erit curatio, videatur, an levis, an gravis, si symptomata sint levia, sperabimus resolutionem vel diaphoresi vel coctione & ejectione phlegmatum, sed ex febre, siccitate, vomitu magno Medicus cognoscit, an adsit magna inflammatio, si timeat suppurationem, maxime curabit, ne suppuretur; hinc tractandus est æger ut Pleuriticus, vena statim secanda; quo facto abdomen vel hypochondria involventur cataplasmate emolliente, resolvente & fovente, detur cibus tantum humectans & leniens; quies imperetur, clysma injiciatur, hac ratione curatur æger; hic morbus sæpe oritur, sed vix cognoscitur, ex centum Medicis vix unus qui ex dictis signis inflammationem esse putat, omnes fere acrimoniam incusant, sed inflammatio fieri potest absque acri à sola obstructione, hinc quando æger perpetuo vomit, optime scire oportet, an hic vomitus oriatur ex materia semi biliosa fluctuante, uti fieri potest in Acutis, vel alia quavis de causa, tum oportet dare vomitorium, at si sit inflammatio & detur vomitorium, æger morietur. Sæpe accidit in morbo Acuto, ut symptoma inflammati ventriculi materie semi biliosa repleti videantur eadem à Medico, attamen cura debet esse plane diversa; vide *Sydenhamum de Peste Londinensi*, si vero tum hæreat materies hæc biliosa

& relinquatur, tunc attenuabitur, & attenuata in sanguinem subibit, unde pessime cedet ægro. Cognoscam etiam, an sit materies biliosa, an inflammatio ventriculi; si v. g. inprimo casu à simplici aqua epota non statim fiat dolor acutus &c. vide §. 995. Contrarium vero, si ventriculus fuerit inflammatus, accidet.

§. 947. Tum vitanda sunt omnia acria & stimulantia, mire sæpe suppuratur ventriculus, unde fit apostema, accedunt nausea, vomitus, & summus dolor; hinc vix curatur, multi quam primum aliquid edunt, reddunt vomitu puris copiam, unde illa venit, nesciunt ægri, sed est apostema ventriculi, reddunt sæpe pus saniosum permistum quibusdam membranulis, eadem cura requiritur, sed si hoc factum sit, quæ cura est instituenda? Vix scio, nam hoc apostema vix in unum concrescit, locus semper abluitur recentibus sæpe acribus, bilis intrat, æger semper vomet, hinc si ita afficiatur ultimo diu vexatus tabe purulenta moritur. Quænam tum danda sunt remedia & consilia, ut ulcus in ventriculo apertum depuretur? non danda est ægro multa copia cibi simul, sed tantum una semi uncia simul, nam nullum viscus depurari potest, dum expanditur, idem dicendum est de ulcerum vesicæ cura &c. nam si velimus ulcus in vesica depurare non oportet injicere depurantia magna copia una vice, sed parca copia sæpe de die, & sic in ventriculo detur etiam Mel Rosaceum, quod optime depurat; deinde detur cibus singulis duodecim horis tantam, ut pro hoc sufficiat, nam si sic vivere nolint, nunquam sanabuntur, summa enim ope est annitendum, ne ventriculus unquam

quam extendatur, nec detur ullum acre vel durum, sed cito transiens, leniens nempe jus carnium, cum Petroselino pro solo nutrimento, aqua Hordei, serum lactis, solum pro potu, sed per aliquot dies leve decoctum ex radice Solidaginis Saracenici, aut Symphyti majoris sensim ingestum sæpe prodest, non ultra unciam semis simul assumendum, quia aliter extenderetur nimis ventriculus, recrudesceret, ulceraretur, & nunquam restitueretur. Vidi mulierem, quæ matulam pure plenam evomuerat ex ventriculi apostemate rupto.

§. 948. Credo me ultra quinquaginta tales vidisse, qui postquam laborarunt morbo violento inflammatorio, de his querebantur, dolor erat ad ventriculum tolerabilis, si nil ederent, sed si quid ingererent, dolebant, quasi ferrum ardens applicaretur, nil ingerere possunt; quia dolor inde intolerabilis oritur; per multa experimenta mihi videor edoctus olim fuisse inflammationem ventriculi, inde scirrhum, qui in cancrum declinavit, hac re confirmatus sum attendendo ad symptomata; juniores Medici putant se facile sublaturos, sed à medicamentis dolor augetur, amara acria omnia sunt pessima, sed alia affectione vel dolore ventriculi vexati tincturis Succini, Myrrhæ, Spiritibus Salis Volatilis Oleosi &c. uno momento sunt restituti, hinc hæc dicuntur Stomachica: si cancrosus eadem assumat, pessime se habet; hic morbus imprimis occurrit in fæminis atrabiliariis, melancholicis, quæ habent in toto corpore diathesin cancrosam, multæ in vestra hodierna Praxi accessuræ sunt fæminæ, quæ conqueruntur de dolore exacerbato post cibum in ventriculo, tum abstineant hæ à spiritibus


ritibus aromaticis, nam illi hunc cancrum movent, sed utantur lenissimis remediis in cancro mammarum exhibendis scilicet jure carnium pro cibo, non tum lac darem, quia fit colostrum in ventriculo, sed tantum aquam Hordei, vel tenuissimam pulticulam cum fero Lactis & Hordei & Avena cum pauco Saccharo & Melle, qua methodo optime curavi ancillam, & tunc tantum danda sunt medicamenta ad semi-unciam simul omni quadrante horæ, sed diæta debet esse exactissima, & ego in simili casu dominæ cuidam præscripsi, ut per mensem integrum nil nisi jusculа carnis sumeret, unde multum sedationis in doloribus se sentire mirata est; pro potu utatur sero Lactis, decoctis emollientibus, emulsionibus, & aquis Spadanis, in quibus ferrum adest naturale ventriculo gratissimum, ex his patet, quænam pars est curanda; nam ventriculo carere non possumus, hinc videre debemus, ut iterum præster suum officium; homines fuerunt ita audaces, ut voluerint indagare causam, quæ in peste efficiat, ut ægri fiant nauseosi, & cur tamdiu vomunt, donec exstinguantur, & cur ista regula vomitum curare vomitoriis fallit, tum invenerunt in cadaveribus peste defunctis anthracem verum obsedisse superius os ventriculi, & pylorum.

§. 949. Vidi puellam, cui post diuturnum & pessimum illum potus Thee & Coffe usum, ortus erat dolor ventriculi, qui plurimum increverat, usa est plurimis medicamentis, sed in cassum, ad me venit, tum observavi, quod à perpetuo illo potu inflammatio & siccus tumor cancrosus factus conciliatus esset partibus illis, aliter concipere non poteram, unde ille dolor oriretur; nam si unum cochleare alicu-

jus liquoris ingereret, ftatim maximus dolor oriebatur, tum juffi, ut decoqueret Hordeum vel maxime Oryzam, quia non acefcit, ita ut illud medicamentum cum aqua fumeret parum, femper per dies aliquot nil aliud fumendo, hoc intra menfem juvat. Medici errant, dum in hoc cafu dant acria, vel fpirituofa, fed hac ratione fenfim per vafa gaftrica advehitur illud acre, locus depuratur & concrefcit, quies eft concilianda, omne acre rodens evitandum, ab impletione cavendum, fola lenia fenfim ingerenda, cum alia vix ferri poffint.

§. 950. Si deberem defcribere Hiftoriam horum morborum, tum omnia antea dicta forent repetenda, fed cum parum vel nihil tantum loco differant, & eadem requirantur, de his tantum parum dicam; multi ægri morbis Chronicis laborantes queruntur accedente Medico fe habere malum in ventriculis, fi rogentur ubi, monftrant fere ad lumbos, dicunt fibi adeffe dolorem maximum, adeo ut poft ciborum affumptionem bihorio vel trihorio poft accrefcat dolor, ut ter, quater vel quinquies vomant, licet fere nil accipiant; hæc materies cancrofa venire poteft in duodenum vel per vomitum rejici, vel venire ex duodeno in inteftina tenuia, & tum creare in inteftinis teterrimas erofiones; unde poftea ægri Diarrhæa contabefcunt; in hoc cafu levis febricula adeft, externe ad corpus nil apparet, nec ullibi alibi, fed fi hypochondria premantur, ægri queruntur de dolore intolerabili, quæ augetur geftatione anniculi conftrictorii (Belgice *rygh lyf*) fi mulieres fint gravidæ, tum femper colluctantur cum immani hoc dolore. Mulieri cui utraque mamma cancrofa fit, huic & in utero eft illi

illi cancer, & etiam in pancreate, nam tum dolor est præcise sub ventriculo, ubi situm est pancreas, licet hoc perperam sumatur pro morbo Hypochondriaco. In hoc casu eadem sunt agenda, quæ in affecto ventriculo, sensim parum simul assumant, eadem edant, donec dolor levatus sit, quies est imperanda, & acria vitanda, lenissima danda; in scirrho pancreatis usum copiosum Cerasorum optime profuisse deprehendit *Dominus du Ry* & præstare in hoc casu supra Ribesia, quæ licet sint refrigerantia, habent tamen aliquid acrimoniæ, quod præsertim nocuisse aliquatenus mulieribus hystericis testatur idem Dominus. Eadem in liene & aliis ibi loci partibus ita affectis observanda sunt.



Intestinorum Inflammatio.

§. 951. Diarrhæam, Dysenteriam, Passionem Iliacam, Volvulum, Miserere Mei, omnes hos morbos sub hoc capite revoco, nam omnes sunt inflammationes intestinorum.

Tenuia. Quia intestina crassa non tam tenuia. neque tot vasa habent.

Hærente. Intestina inflammantur primo à causa communi in historia inflammationis explicata, secundo ab ingestis in ventriculum, ut sunt aër, cibus, potus, medicamenta, venena, denique quidquid ingestum habet tantam acrimoniam, ut inflammationem producat, causa hujus mali esse potest; ut omnia caustica, quæ tam facile à Medicis propinantur, ut

spiritus Sulphuris per Campanam, Sales alcali-ni, spiritus Vitrioli &c. possunt creare inflammationes in intestinis; idem fit ab humoribus saniosis deglutitis salivosis, aut cariosis ab ossibus stillantibus, ut plerumque oritur in Morbo Gallico, acerrimis attrabiliaribus viscerum corruptorum ichorosis &c. *Ruyschius* demonstravit, quod materia ceracea injecta in venas Mesentericas exsudaverit in cava intestinorum, & quod materia in hepate accepta per arterias cæliacas expressa fuerit in cava intestinorum, hinc fit, quod homines, dum per alvum tantam materiæ copiam excernunt, dicant; se plurem excrevisse materiam, quam quidem in abdomine contineri potest, quia omnes humores huc deferuntur per vasa nimis laxa. In intestina se evacuant arteriæ cæliacæ, mesentericæ, totum hepar, totum lien, pancreas, totaque sanguinis massa se per intestina evacuare potest, hinc non cogitare debemus, quod in intestina tantum deveniant mala intestinorum, sed etiam totius sanguinis massa & præsertim partium vicinarum.

Convulsione. Nam ab acri applicata vel ingesta convulsum intestinum constringitur utrimque & inflammatur à materia elastica contenta ab illa vel inflammatione compressa.

Creante. Omne intestinum vi contractili est præditum, hinc ab assumptis atteritur, vasaque sanguinea simul comprimuntur, hinc sæpe inflammatio oritur à spasmo prægresso, nam illa sunt æque sensibilia ac oculus, hic acri ingesto contrahuntur & incitata complicantur, ut sanguis transire nequeat, hinc inflammatio oritur.

Sisten-

Sistente. Tum inteſtina dimittunt ne unam guttam aquæ, vide *Institutiones Medicas*.

§. 952. *Contrahit.* Verum hæc contractio naturaliter fit, ſed alterne tunc hæc tunc illa pars contrahitur, ſed hic illa contractio perdurat.

Transitum. Nam hæc neceſſario ſequuntur, ſi febris Continua Acuta, ſi dolor magnus & fixus in abdomine ſit, tum certiſſimum eſt hic inflammationem eſſe factam, ſed ſi febris non adſit, tum de alia re eſt cogitandum.

Irritatur. Unde ſæpe homines mirantur, quod qui poſſent antea ſatis facile ferre unam libram Aceti, ſæpe ab uno pomo aſſumpto ſentiant dolores acerbiſſimos in inteſtinis.

Alvum claudit. Unde omnia ſurſum rejiciuntur, & nil per inferiora ſecedit, hinc oritur Colica clauſa (Belgice *gesloote kolyk*) nam per inflammationem omnis via intercipitur, ut nil tranſire poſſit, omne per vomitum retrogreditur, ſcilicet ſimulac illi ægri cibos ingerunt, illos ſtatim per vomitum rejiciunt, tum ſignum eſt ventriculum eſſe inflammatum, ſed ſi per ¼ horæ retineatur & vomitus oriatur, tum eſt inflammatio prope pylorum.

Citius tardiuſque. Materies aliquando manet per triduum, antequam regurgitat per vomitum, ut vidi in puero, quem deinde ſecui, nam vidi hinc quod ab æſophago uſque ad ileum omnia erant capaciſſima, ſed ileum ibi valde erat extenuatum & clauſum. Ille vero puer ante mortem, & à primo ſtatu morbi, quem contraxerat ex ingurgitatione, dum valde caleret à luſu, vomere incipit ingeſta, deinde enim, quod de novo ſumebat, retinebat per duos treſve dies, tum demum regurgitabat,

quod continuavit ad mortem usque.

Flatus. Omnes homines habent flatus in corpore, si vero non sentiant flatus, istud inde fit, quia æqualiter feruntur, nec ventriculus vel intestina constringuntur, sed si unum ex his constringatur, tum sentimus flatus; hi aliquando nil mali faciunt, & Medici falluntur putantes in morbis Acutis ortum suum habere à materia frigida, quod non verum est, nam aër modo interceptus & rarefactus est.

Ileum. Si nempe intestina ab inflammatione comprimuntur, tum pars, quæ infra compressionem est, evacuatur supra compressionem, vel dilatatur, sicque fit Volvulus seu susceptio unius intestini in illud. Ileus est dolor acutissimus inflammatorius in parte intestini tenuis, unde materies ingesta non amplius descendit in intestina crassa, sed sursum regurgitare & per os excerni cogitur, vide *Ruyschii Observationes Chirurgicas.* Volvulus est intestini circumvolutio vel suscepptio, quæ susceptiones sunt frequentissimæ, & plures ægri inde moriunrur, de hoc vide *eundem Auctorem supra citatum.* Non est morbus, ex quo homines plus moriuntur, quam summo dolore Colico, quo robustissimos rusticos & athletica sanitate sex horis mortuos vidi.

Gangræna est omnis conditio, quæ facit, ut humor appulsus transire nequeat, nec illum, qui in parte superest, per venas redire permittit.

Scirrhus. Nam in intestinis sæpe mala pendent à scirrhis ibi natis, viamque ibi intercipientibus.

Cancer. Scirrhus fit cancer, quando ejus margo inflammatur, & vasa vicina quoque, & hoc fit semper à motu, cum vero in intesti-

nis

nis tantus sit motus, hinc intelligitur facilitas scirrhi degenerandi in cancrum.

§. 953. Probe attendendum est in omni dolore Colico, undenam oriatur, nam fere semper tribuuntur mala frigiditati, quia plerumque intestinorum mala oriuntur ex pedibus frigidis, ventis & usu fructuum Horæorum & ex flatibus retentis, unde fiunt spasmodici dolores & perperam tum adhibentur calida & stimulantia, & spiritus Carminativus *Sylvii*, Anisi, Carui, oleum Corticum Aurantiorum, nobile alias remedium, sed hic pessimum & funestissimum remedium ob inflammationem illis Medicis non cognitam, nisi adsit materia frigida; hinc accurate ex signis est examinandum, an adsit inflammatio, licet æger dicat esse Colicam vel Iliacam Passionem, non ilico danda sunt carminantia &c.

§. 954. Si dolor sit ex frigore, ex flatu, ex constrictione spasmodica, tum non erit febris & curabitur per calida, sed si febris vel præcesserit morbus vel concomitetur & simul augeatur, & sentiatur magnus calor in ægro &c. tunc calidis malum tractari non oportet, nam si mulieri Hystericæ similia dem, optime prodero, quia hæc passio oritur à spasmis, & quia frigida est; sed si sit inflammatio intestinorum, pessime cedent, si sit inflammatio, oportet examinare, an sit à Venere, aut ab Arsenico, Cantharidibus, Ranunculo, Antimonio &c. quia tunc plerumque alia remedia requiruntur, ex inflammatione malum oriri cognoscitur, si adsint signa sequentia nempe febris Acuta perpetua, sitis summa, calor magnus, pulsus ut in Pleuritide satis durus, urina ignea maxime tincta, debilitas summa & cita virium prostra-

tio, quem decursum vidi sæpe in messoribus & in me ipso, id est, primo acerbissimum dolorem, deinde debilitatem summam, quam si paulò nimis duravisset, sustinere non potuissem.

§. 955. Colicus dolor hæret in intestino cæco veterum sub hypochondrio dextro, deinde adscendit per coli flexuram sub sterno usque ad ingentem capicitatem coli, quæ hæret sub hypochondrio sinistro, unde tunc fiunt per hunc tractum dolores hypochondriaci à flatibus retentis, accidit etiam gravidis, ut comprimantur hi duo sacci & intermedius fluxus ab utero pleno, & quando mulier peperit, materies quæ per graviditatem inspissata remanserat in flexu coli, tunc creat Dolores Colicos, sed curabuntur, si detur Sapo Venetus ut & pilulæ fœtidæ, mel ingenti copia & injiciantur clysmata, hacque ratione optime hos morbos curavi in puerperis & hypochondriacis. Colicus dolor rarior est quam putatur, in hypochondriacis & melancholicis hunc morbum agnosco, sed aliter inflammatio in intestino colo longe rarior quam in ileo; hinc si homines centies dicant, est Colica Ventosa, tum Passio Iliaca esse cognoscitur, Colicus Dolor esse cognoscitur ex eo, quod statim post dolores alvum deponant ægri, vel crepitus vel stercus vel materiam acrem dimittant, si Iliacus sit Dolor, nihil excernitur. Hæmorrhoidum dolor est plerumque inflammatio ob materiam induratam, quæ comprimit & excoriat in transitu, vel comprimens venas efficit varices in hæmorrhoidibus, quæ si crepent, dicuntur hæmorrhoides fluidæ. Condylomata & marisca nascuntur ex coitu impuro contra naturam, ut *Juvenalis* canit.

— *Quis*

——— *Quis enim non vicus abundat*
Tristibus obscœnis, castigat turpia cum sis
Inter Socraticos notissima fossa cinædos:
Hispida membrana quidem, & duræ per brachia setæ.
Promittunt atrocem animum: sed podice lævi
Cæduntur tumidæ, Medico ridente, mariscæ.

§. 956. Statim cogitandum est de inflammatione & curatione antiphlogistica, nam si octo vel decem horis exspectes, nil proficis, si sit in intestinis abscessus, ex centum vix unus resurgit; hinc sanatio cito est promovenda, aliter fit Ileus, si non statim efficacissimum remedium adhibeatur, aliter vix à Volvulo vel Ileo curatur, & sæpe intra quatuor horas fit gangræna, nam *Ruyschius*, qui multa talia cadavera dissecuit, à me super hanc rem rogatus dixit se semper invenisse Volvulum in iis, qui inflammatione intestinorum obierunt; licet hoc sæpe derideatur, hinc 1 statim larga missio sanguinis est instituenda & sæpe ad tertiam quartamve vicem ut in Pleuritide.

2. Hæc sunt illa maturantia & præsertim Farina Lini in aqua cocta ad cremoris recentis spissitudinem vel ad dimidiam pultis crassitiem, ex quo decocto dantur clysmata, in potibus etiam talia sunt sumenda, quæ methodus est omnium optima & utraque retinenda, quantum fieri potest; ego quidem omni hora clysmata ex herbis laxantibus & emollientibus injicio: casum notabilem hic dicam. Dolor intolerabilis ad ventrem occupavit virum die æstivo in summo æstu; eratque Ileus, statim om-

ne

ne remediorum genus dabatur à Medico inclinante ad Chemiam, unde ſudor frigidus accedebat, & multo pejus ſe habebat æger, accedit Medicus Italus Practicus veteranus, qui videns ex dictis ſignis hunc eſſe morbum, injicit aquam cum aceto, ſtatim ad primam injectionem dolor remiſit, quovis bihorio hoc ſemper repetiit, donec omnis dolor & malum abierit, aqua & acetum videntur iis contraria, cum maxime refrigerent, ſed hic curant. Alium in ſimili caſu vidi, cui etiam jam aderant omnia mortis ſigna, ſed Medicus Hiſpanus Judæus ſuccum Limoniorum expreſſum dari juſſit, unde ſiſtebatur malum adjunctis clyſmatibus, ideo poſt venæ ſectionem exhibeatur omni hora tale clyſma v. g.

℞. Aquæ tepidæ ℥x
Syrup. Althææ
Fernelii ℥ij
M. F. Clyſter.

Injiciendus donec flaccida reddantur inteſtina & quaſi Lienteria laborent; centum quidem tales ægri perierunt ex pauca clyſmatum injectione, nempe ſi bis vel ter de die injiciantur, ſed mea eſt methodus, ut continuo omni bihorio vel hora.

3. Sumatur aqua communis cum ſyrupo Violarum vel Althææ Fernelii, ſed cane pejus & angue fugiantur omnia aromatica calefacientia, tum addatur Nitrum & ſuccus Citri vel Limonum, vel adhibeantur tales potus v. g. decoctum Malvæ, Althææ, Parietariæ &c. hæc decocta Chirurgus externe adhiberet in inflammatione, ut anodyna, laxantia & temperantia, hic quoque

que fumi poteft ferum Lactis, jus carnium tenue, & nil plus, nifi remedia in Pleuritide commendata.

4. Fomenta maxime profunt, imprimis catuli vivi impofiti calidi funt maxime diffipantes & laxantes, vide *Sydenhamum de Iliaca Paffione*. Optima etiam funt, quæ laxant & tepefaciunt, ut decoctum Farinæ Lini cum fyrupo Althææ & pauxillum Nitri, quod cum pannis quadruplicatis imponitur, credo, quod hoc magis vel faltem non minus ac animalia viva profuturum fit, vel conducit in eundem finem oleum Lini vel Liliorum Alborum pro inungendo, ut etiam interne prodeft oleum Amygdalarum Dulcium recenter expreffum vel Lini, vel Olivarum.

5. *Acria.* Quocunque titulo habentur, femper funt perniciofa, ut funt alcohol, fpiritus ftillatitius Fæniculi, Anifi, Angelici, Mentha, Aqua Vitæ Matthioli, Spiritus Carminativus Sylvii, Tinctura Caftorei, & Succini, oleum Pomorum Aurantiorum, uti & omnia medicamenta, quæ Carminantia dicuntur, fateor quidem, bona funt pro Hyfterica & Hypochondriaca affectione & pro tali morbo fpafmodico, verum pro hoc morbo inflammatorio maxime nocent, inflammationem primo augendo & deinde gangrænam inducendo, fed juvant, ubi lentor & frigus adfunt.

6. *Perfiftendo* &c. Hoc plerumque negligitur, nam cum primum Medici vident refolutionem inflammationis factam, ilico ægris valedicunt, fed tum tamen in parte adhuc hæret diathefis inflammatoria, unde fubito aliquando redit malum, hinc biduo vel triduo continuanda funt clyfmata, ut inteftina laxentur.

Hel-

Helmontius notavit hoc malum redire brevi, licet sanatum sit, id fit, quia ægri cibis duris & fæces generantibus vel acribus piperatis, quæ locum inflammatum irritare possunt, utuntur, ergo abstinendum est à talibus cibis, donec per triduum locus non doleat.

§. 957. *Dysenteria* primo vocata sicca, quæ sæpe fit purulenta, quando nempe transit in abscessum ruptum, non habet igitur aliquid Epidemici; in hoc tamen casu plerumque est Vera Dysenteria purulenta, nam quæ ex hepate & pancreate fit raro est purulenta, & ope hujus Dysenteriæ non raro vidi hunc morbum curatum. Serum Lactis hic optime conducit, uti Aquæ Spadanæ, quæ optime depurant & ad consolidationem perducunt, cæteroquin sæpe Lienteria subsequitur.

Natura. Abscessus fit in tunica villosa, cum vero perpetuus ibi fit motus & contractus ex abscessu fit sinus, sive fistula; unde ubi saccus plenus est, materies se evacuat per alvum & fit Dysenteria purulenta, quæ modo cessat, quando saccus depletus est, & modo redit, quando est accumulatum pus in sat magna copia.

Membrana. nam inflammatio hæret in ultimis arteriis mesentericis, quæ ponuntur in tunica villosa intestinorum, hinc hæc tunica sæpe una excernitur. v. Tulpii observationes. Si abscessus vel sinus fiat inter duas mambranas in intestino colo; tunc sanari nequit, quia ibi aperiri non potest, quæ sola hæc superesset tunc curatio, ut fit in fistula ani.

§. 958. Si æger panem & carnem edat, non sanabitur; sed assumentur ea, quæ stercus non generant, intestina crassa clysmatibus biduo detergeantur, ut nullum ibi stercus supersit, tum opti-

optimus cibus est jusculum carnium, & serum Lactis, reliqua omnia generant aliquid stercoris, hinc his non utatur, ne quidem hic lac concedi potest, quia abit in caseum, aquæ Spadanæ hic quoque egregii sunt usus, hac ratione curavi tubicinem, qui antea Ileo laboraverat, jam vero tali Dysenteria laborans, poterat pus reddere, si modo vellet comprimendo tumorem abdominalem, cogitatis vero, si huic collectioni jam ciborum fæces admisceantur, nonne tum plane foret incurabilis? In tali morbo eo die, quo advocor & novi talem morbum adesse, clysmata injici jubeo ex decocto Fœniculi vel Cumini cum Sapone Veneto, post sex horas iterum injicio, tamdiu continuando, donec nil fæcis amplius exeat; postea serum Lactis ex Lactis ovillo optime sitim sedat & nullum stercus facit, cibus sit jus Carnium cum quinque radicibus Aperientibus vel cum radicibus Scorzoneræ, Siseri Germanorum, Petroselini, Fœniculi, Agrimoniæ, Caryophyllorum Hortensium & similibus detergentibus; detur hoc decoctum per spatium unius alteriusve mensis, postquam per linteum transiit; ex hisce etiam clysmata detergentia sumi possunt, hac ratione plures hoc morbo laborantes curavi, sæpe etiam optime curantur solo jure carnium & aquis acidulis Æstivo tempore, ne miramini me hic non commendare illos balsamos, cum de iis, quid sentiam, antea dixerim, cum pinguia plus obsunt, quam prosunt, unum hic aliquid juvat oleum Terebinthinæ & balsamus de Mecca.

§. 959. Si *Ruyschiana* præparata videtis, facile percipietis, qualia sint intestina tenuia, jam vero tunica cellulosa per digiti crassitiem intumescere

meſcere poteſt, unde arteriis & venis compreſſis totum inteſtini cavum clauditur, ut & hic accidit, quia nunquam quieſcunt, ſed per totam vitam moventur, facile fit gangræna.

§. 960. Si febris Acutiſſima adſit, dolor maximus non mitigatus ſine criſi intra viginti quatuor horas, tum plerumque æger moritur, in aperto cadavere invenitur gangræna viſcerum abdominalium.

§. 961. Si adſint ſequentia ſymptomata nempe dolor maximus, febres magna, ſudor frigidus, & unctuoſus, labiorum, oculorum, & naſi pallor, Diarrhæa ichoroſa, ſimilis loturæ carnium, ut lympha effluens ex bulbis gangrænoſis, cutis frigida & humida, pulſus parvus intermittens, color pulmbeus, alvi fæces fætidæ nigræ, tum certiſſimum eſt, gangrænam inteſtina occupaſſe, ſed ſi quis Medicus hujus ignotus adſit, tum Medico non exſpectante æger moritur, nam tum ægrum ſe optime habere apparet, quia gangræna nondum ad cor vel cerebellum proceſſit, hinc tum eſt quietus, tamen intra paucum tempus certiſſime moritur.

§. 962. Hic morbus plerumque eſt lethalis intra paucas horas, hæc inflammatio emungit inteſtina humore tenaci, unde alvi fluxus & inde ichor oritur, tum dicunt Medici ægros eſſe mortuos à Diarrhæa vel Dyſenteria, ſed vera ratio eſt gangræna in inteſtinis tenuibus concepta.

§. 963. Si nempe inflammatio talem babeat materiam & talem locum occupaverit, ut ſcirrhus fieri poſſit, tum facile ſcirrhus oritur, hic vero in inteſtinis eſt commodus lodus & hinc frequentior eſt, quam unquam putatur.

Vi-

Victus igitur fit ex solo jure carnium, unde nihil fere fæcum fieri possit, & danda sunt nulla, quæ motum excitare aut irritare possint, & tanto magis si scirrhus factus sit cancer.

§. 964. Si inflammatio non magna, nec febris sævis symptomatibus stipata, nec signa adsunt resolutionis, coctionis, nec suppurationis se manifestantia, sed æger dein conquerens de stupore ad intestina dilaceratione, gravitate, si præterea fæces intercipiantur, & eæ vomitu sursum reddantur, si vero morbus inflammatorius sit, qualis hic describitur, tum oritur scirrhus.

§. 965. Natura scirrhi est tumor glandulosus non dolens; si talis oriatur, tum sentitur in hoc loco, quasi lapis ibi hæreret.

Fæcum. Hæc facile transeunt, sed ubi ad scirrhum perveniunt, stagnant, tum ibi fit putredo, circa scirrhum major oritur obstructio & stupor, pondus, gravitas, incrementum, cavitas minuta, angustatio, hinc si scirrhus non tollatur, quotidie augetur, & quotidie magis occludet canalem, chylo resistet, hinc ille stagnat, intestinum occluditur, ventriculus impletur intra scirrhum. Quando ægri corporis situm mutant, & ex altero latere in alterum incumbere volunt, tum perfecte sentitur quædam materies.

Occlusio. Hinc oritur vomitus, per quem omnia ingesta sursum ire coguntur, si hoc fiat in initio tenuium intestinorum, tum cito moriuntur ægri, si vero in fine tum sæpe supervivunt, sic vidi duos pueros, quibus ambobus erat scirrhus, hi per tres dies erant sani, sed quarto die omnia in prioribus tribus diebus assumpta per vomitum reddebant, hic suasi, ut nil,

quod

quod fæces faceret, assumerent, sed alii Medici purgantia & vomitoria præscripserunt, unde hi mortui sunt, unum horum dissecui, ubi & scirrhum loco à me designato in Ileo inveni, quod ex duratione intestinorum prædixeram & hic paulo supra scirrhum inveni intestinum Ileum tam crassum qnam intestinum Cæcum. Ileus & Volvulus non fiunt ab inflammatoria diathesi sed à solo scirrho.

Ab acri Quando materies putrida vel acris hæret in intestinis tenuibus, tunc non patitur inde tam facile retrocedere, ac si esset in crassis, sed maximos & diuturnos dolores creat.

Mors oritur, quia nil accipiunt ægri.

§. 966. Scirrhum nemo resolvere potest fateor, aliquando ad suppurationem inducitur, aliquando eroditur vel exscinditur, sed hoc hic fieri nequit, medicamenta erodentia hic impossibilia sunt; hinc est morbus desperatus, imprimis si sit proxime ad ventriculum, sed si longius distet, aliqua spes est vivendi aliquod tempus, superius serum lactis & jus carnium ingerendo, per inferiora clysmata injiciendo. Frustra Chemici jactant se habere medicamenta scirrhum resolventia, ipse ego cum Chemicis conversatus & observans eorum efficacia remedia nunquam effectum vidi, hinc morbus est incurabilis, nam externe ubi datur accessus, non curatur, hinc hic longe minus nisi forte benignitate sit resolubilis, sed tum facile sine nostra opera de se ipso curatur, si modo acria & stercus generantia vitentur deinde adhibeantur summa emollientia.

§. 967. Si scirrhus in intestino tenui hærens fiat, status est miserrimus, vix sciendus, quomodo interne se habeat, vel curandus sit, licet

cet centies observatus. Scirrhus dein fit cancer, putrescit circa labia, partes erosæ retrocedunt, hinc oritur rima inter sanas partes & scirrhosas, hoc si in intestinis oriatur, fit status miserrimus concludendus ex natura cancri & intestini, intestinum fere totum nervis est plenum uti & glandulis, quæ si cancrosæ fiant, tum tota substantia nervosa, fibrosa noctes atque dies eroditur, eodem modo ac si nervi ungium traherentur, hinc illi dolores abdominales tota vita ad mortem usque perseverant; quod etiam colligitur ex functione intestini, in quo perpetua contractio & propulsio fiunt. In cancro mammarum quantus adest dolor, licet pars non ita moveatur, hinc facilè noscitur ad intestina dolorem intolerabilem esse debere; huc omnis chylus, & omnes humores effluunt, hinc est quasi perpetuo effoderetur aciculis nervosum genus, si hæc oriatur, tum fit Diarrhæa acerrima assiduo rodens, dolens, nullo medicamento parens, omnia rodens cum doloribus & maximis convulsionibus ad mortem usque, neque hic aliquid est solatii, alibi cancrum non curamus exulceratum multo minus hic. Tunc malè dant Medici purgantia, nam quanto magis tunc temporis cancer ibi exacerbatur, tanto magis materies ex alvo dimittitur cum maximis doloribus.

§. 668. Medici vulgo dicunt, quod si scirrhus sit alicubi, dandi sint sales fundentes & attenuantes, sed sum in alia sententia. *Hippocrates* dicit, quod tunc dandum sit mel cum farinosis, nempe si dolores sint atrocissimi abdominales ex ortu suo, ex sede sua ex affectis præsertim per fæces Dysentericas demonstravit, nobis cancrum intus esse in intestinis, si hæc ita

ita fit, tum sequentia tantum sunt abhibenda; serum Lactis recens defæcatum ab omni caseo, jus Carnium; oleum Amygdalarum Dulcium recenter expressum; decoctum Solani, farinæ Lini, præsertim florum Althææ, florum Papaveris Rhæados, Verbasci, Cyanorum, Blattariæ & herbarum penitus emollientium, de quibus si æger jejuno ventriculo quotidie utatur satis magna copia, optime proderunt; verbo dicam, cavendum ne talia dentur, quæ etsi blanda & dulcia sint in assumptis, acescere, acrescere vel putrescere possunt, hinc hic est laborandum, ut detur talis victus, qui non modo blandus sit in assumendo, sed talis maneat in corpore; ergo danda sunt lenia, non stercorosa, non irritantia; clysmata & fomenta etiam valde conducunt. *Apud Forestum de Morbis Intestinalibus* invenitur, quod qui diu laborarunt doloribus Colicis & maxime pessima Dysenteria, tum tractabatur hic morbus nomine Ilei, unde si parum acris parum Diasennæ aliaque purgantia darentur, morbus tum summopere exasperabatur, inde patet illud malum fuisse cancrum. Quidam putant illud esse acidum acre ex ventriculo huc delapsum; ut *Sylvius*, unde præscribebat purgantia volatilia, quibus morbus valde exasperabatur.

§. 969. *Insuperabiles.* A scirrhis cancrescentibus in his partibus; fui aliquando ante quinque annos in familia; ubi puer quatuor annorum ex mea opinione hoc malo laborabat, alii Medici exhibere voluerunt purgans, sed me illis opposui, nam ex sequentibus symptomatibus patebat esse hoc malum, habebat enim anxietatem, sitim, tumorum abdominis, omnia clysmata nil proficiebant, vomitus oriebatur

ma-

materiæ stercoraceæ sine fætore & odore tamen, tum se melius habebat, sed postea redibat ab initio susurra malorum; credidi fuisse scirrhum cancrescentem; rogavi, postquam mortuus fuerat, an mihi liceret incisionem ejus cadaveris instituere, ut deprehenderemus, quid veri esset, tum cadavere inciso invenimus in tenui ejus intestino scirrhum cancrescentem exesum, & adeo comprimentem partem intestini, ut nil transire potuisset. Hæc doctrina repugnat illi medicinæ, quam plerumque in Academia addiscimus & ab antiquis continuato more recipimus, ut vix quidquam hujus rei ibi reperiatur, sed nisi legatur *Hippocrates*, magnusque ille observator & commentator *Duretus*, quanta hic tenebra adest? Ego in initio Praxeos fere desperavi de certitudine medicinæ, accusabatur acre quibusdam, aliis acida austera, varia, innumera, sed attendendo omnia symptomata, alvina excreta &c. & conferendo hos Auctores observavi esse cancrum, ubi solum indicabatur, primo demulcere, secundo cavere, ne acre vel stercus accedat, hinc diætam præscribere ex jure carnium sero lactis &c. tertio clysmata injicere; dices; æger non feret, sed aliter pessima Dysenteria laboraturus peribit, sed si dolores aliaque incommoda & ipsam mortem vitare velit, hæc pati debet, nisi perire velit cum summis torminibus & doloribus; qui per Aquas Spadanas & similia alia remedia curare volunt, illi irritant malum & sæpe hoc remedio enecant; legimus dato Antimonio ægrum uno momento periisse, vidimus fortem purgationem necasse, ichor irritatus ad mortem usque stillabat, hinc patet quam variæ Dysenteriæ; si rogemus, quid sit

Dysenteria? Est Diarrhæa cum dolore, si rogemus, quæ causa? jam fere infinitæ sunt, quidquid inflammationem & suppurationem promovet, omne acre jusculentum, potulentum, venenum, evacuans facit hic Dysenteriam, hinc patet Dysenterias hactenus nondum bene nec plane esse explicatas, sæpe hic morbus oritur, quia arteriæ mesentericæ putridum ichorosum deponunt in intestina.

Hectica. Tunc datur diæta contra Hecticam ut magnus motus, equitatio &c. quæ contra Hecticam quidem bona sunt, sed contra cancrum damnosa imo & diæta ex lacte Asinino, quia coagulatur in ventriculo.

Medicamenta nocentia? Nam unus dicit, est biliosa fracedo, alter aliam acrimoniam accusat, sed an hic medicamenta ad hanc acrimoniam tollendam conveniunt, minime, & æque hic interne conveniunt ac in cancro mammarum; intelligo hic acidum austerum acerbum, quod adeo accusatur, sed utinam illud videremus! cito sanare possemus, v. g. si assumatur una dragma olei Vitrioli tamdiu, quamdiu dicitur hic fieri humor acris, statim dato tantum vel duplo Limatura Ferri cum aqua, cito tolleretur malum; qui dicunt illud oriri ab alcalina putredine, paulo plus dicunt, sed hæc non est causa, sed effectus, & si vellem hic curare per acida, sanguis polyposus fieret, & æger moreretur.

Quanta sit prudentia opus Medico? Nam Medico est inquirendum, an inflammatio adsit, tum enim febris Acuta adesse debet, Volvulus vero adesse cognoscitur, si vomitus adsit, in hoc casu non danda sunt vomitoria nec purgantia.

Immedicabilis Hypercatharsis? De hac re vide *Hippocratem*, est tam vehemens evacuatio sursum deor-

deorsumque, ut compesci non possit & æger moriatur, oritur à Vomica antiqua rupta per vehementiam medicamentorum, hinc dicitur veteribus purgatio continua post datum purgans, illa præsertim oritur, quando cancer intus hæret.

Curandas? Quod curat in una Dysenteria, id venenum est in altera. Rhabarbarum optimum est in Dysenteria à laxitate & fructibus horæis inter milites in castris frequentiori, quæ à levi putredine concepta oritur; solo usu seri Lactis curatur, sed à tali causa difficulter, hinc videmus diversam curam, vidimus nostra ætate plura talia antidysenterica generaliter decantata, qualis imprimis est illa apud Regem Gallorum primo tantum evecta Ipecacuanha, quæ si materia sit fluctans in intestinis, est bona, sed si hepar putrefactum sit, vel si abierit in saccum pure plenum, tum est mala excitat enim fluxum colliquativum ad mortem usque; sic adfui ægro, qui propter stillicidium perpetuo in intestinis talis acris humoris, ultra vigesies una hora latrinam petere debebat, cui auxilium præstare non poteram, tantum dabam nutrientia & demulcentia, quæ parum proficiebant; Medicus Gallus advocatus suasit Ipecacuanham, dicens se duabus vel tribus diebus curaturum, dixi ego meam sententiam, asserens ichorosum exstillans ex hepate, duo alii Medici adstantes etiam amici annuere Gallo, restiti ego, tandem plurimorum voti datum est illud medicamentum, unde æger prima dosi accepta concussus pejor se habuit, & plus doluit, secunda data usque ad mortem vomuit, æger ipse clamabat hoc medicamento se mortuum esse, inde patet, quod multi valde errent, qui putant hunc morbum specifico quodam curari posse, nam

fi cancer vel fcirrhus adfit, tum Ipecacuanha vel Rheum non conveniunt, quin potius pesfumdant morbum, fed tantum fi materia in primis viis biliofa fimilisve adfit & vifcera fint fortia & fana fed fi à cancro tum modo jura carnium & fimilia requiruntur, Cancer enim eft illud verum noli me tangere, neque ullo modo tractari patitur; hinc non novi, fi candide fateri oporteat hic ullum arcanum vel fpecificum, fed ut dicebat *Capivaccius*, difce meam methodum, & habebis meum arcanum.

Aphthæ.

§. 970. Hæ ordinarie poft Dyfenterias & inflammationes vifcerum oriuntur, hinc hic ordine fequuntur. Quia in hoc morbo eft inflammatio, hinc bene poteft adjungi morbis inflammatoriis vifcerum; hic morbus fuit *Hippocrati* notus, fed nullibi dein uberius enerratus, & in nullo morbo plus erratum fuit.

§. 971. Aphthæ funt tubercula exigua, fquammofa, ulcerofa, parva inftar fcabiei occupantia loca defcripta, confpicua imprimis ad labia, gingivas, palatum & fauces, hic morbus Belgis eft frequentiffimus (Belgice vocatur *de fprouw*) & oritur ad extremitates fiftularum, per quas emittetur humor lubricans in cava oris, æfophagi, ventriculi.

§. 972. Vidi microfcopio, quod omnia hæc vafculorum ofcula fint pertufa, quæ liquidum falivofum adferunt, fi ergo materia hic influat, quæ à vi vitæ non fuperari poteft, tum Aphthæ oriuntur. Quando hic locorum materies ex vafculis exhalantibus exire non poteft, & fifti

cogi-

cogitur, tum fiunt Aphthæ, quemadmodum Scabies oritur in epidermide ob obturationem ultimorum emiſſariorum, quæ ſuos humores transmittere impediunt.

§. 973. Omnia inteſtina his Aphthis plena ſunt, vidi dato Rhabarbaro, concatenatas quaſi Aphthas abiiſſe; hinc Aphthæ omnia hæc loca occupant; in inteſtinis craſſis nondum Aphthæ ſunt obſervatæ.

§. 974. Hæ autem Aphthæ, quales deſcripſi, non apparent in regionibus calidis, ſed *Hippocrates* tamen loquitur de Aphthis, ſed hæ ſunt Aphthæ, quæ dantur in corporibus ſenilibus. Aphthæ frequentes ſunt in pagis vicinis Belgice (*Veenen*) depreſſioribus, ubi ceſpites aquis exhauriuntur, ibi omnes fere fiunt Aphthoſi, in locis montanis altioribus & calidioribus vix reperiuntur, Galli & Itali vix obſervant & fere neſcientes me rogarunt, ut demonſtrarem hunc morbum, ſenibus frequens eſt malum.

§. 975. *Diarrhæa.* Tum ad finem Aphthæ erumpunt, ſi nempe Dyſenteria oriatur; tum anomala ſymptomata oriuntur; ſolent autem ægri conqueri de valida ventriculi affectione, ſolent quoque poſt magnas Hæmoptoes coagulationes oriri ſemperque ad finem, & hoc plerumque eſt lethale ſignum. Omnia ſymptomata hic deſcripta Aphthas perfecte pronunciant, & credo quod tunc Aphthæ ſint in ventriculo & ſenſim ſurſum adſcendant, ita ut tandem ad labia deveniant; vidi tamen in hac urbe (quod aliquando contingit huic morbo ſine his præcedentibus ſignis) in mercatore, ante ſaniſſimo à labiis ad fauces & inteſtinum rectum ortas fuiſſe, qui quoque ſanatus fuit ſine ullo malo ſubſequente.

§. 976. *Pessimæ.* Nam hæ semper primo in intestinis & ventriculo sunt ortæ; si vero primo in lingua vel ore, tum ordinario sunt bonæ indolis, nam ægri nunquam moriuntur ab Aphthis in ore, omnes Aphthæ quæ dispersæ incipiunt, non sunt mali ominis. In pueris primo apparent in angulis labiorum &c.

Adhærente. Vidi sæpe has partes fuisse obsessas crustis albis instar lardi, & hoc etiam fit in ventriculo, nam notant gangrænam. Omnes Aphthæ, quæ ex ventriculo adscendunt, pessimæ sunt, nam inde concludimus, quod intestina, ventriculus & æsophagus jam prius obsitæ sunt, ex Anatome patet oscula lactea crusta aphthosa fuisse obsessa.

§. 977. Aphthæ nigræ sunt pessimæ, nam notant gangrænam, quando color est semiopacus perlarum, denotat tantum locum non perspirare, hinc non tantum mali, sed quo Obscurior fit eo pejor.

§. 978. Una Aphtha est modo unum emissarium orificii vasculi, si vero horum mille concurrant, tum fit crusta, quæ si separetur tum Aphthæ cadere dicuntur, si tum cito renascantur, tum Aphthæ sunt pessimæ & contra si densiores renascantur, tum ordinario moriuntur, si fit ab inferioribus sursum, jam raro servantur, imo vidi Aphthas duodecies renatas.

§. 979. Aphthæ sunt ultima vascula corporis impleta materia spissa & lenta, quæ tum protruditur in partes extimas, jam vero vis vitæ languet, hinc non tam cito sed sensim protruditur, & sic tandem decidunt Aphthæ, & materia iterum accedente renascuntur; ipsum tum epithelium seu membrana interioris oris elevatur à subjecta materia ex vasculis exhalantibus

tibus obstructis veniente, tum fiunt ibi species ulcusculorum.

§. 980. Hæc vero vascula obstructa sunt, quæ liquidum emolliens transudare deberent, ut partes ibi positæ humectarentur, quod jam non faciunt, hinc superficiei siccitas fit; & tum os aliquando est tam siccum, ac esset corium. Aliquando interna superficies oris, faucium, æsophagi, ventriculi, intestinorum Aphthis est obsessa, ut chylus in lactea ingredi non possit.

Crustis. Inferius dilatatis, resolutis, decidentibus, qua data porta effluit liquor, qui fluxus bonus est, si Aphthæ non renascantur; malus & dysentericus, si redeant, sed si Aphthæ decederint, & dein fiat stillicidium, tum est bonum, ut signum & ut causa, ut signum, quia signat abscessisse, ut causa quia liberatur tractus intestinorum à crusta decidua. Quod cunque enim vasa & finem obstruit, ante finem semper dilatat, hinc fit tumor, qui, si hæreat in palato, tum deglutionem reddit difficilem; totum os internum ut & ventriculus & intestina sunt spongiæ bubulæ, si ergo hæc oscula claudantur à crusta aphthosa, tum patiuntur Atrophiam, hinc sanguis fit acer & alcalinus, simulac vero Aphthæ deciderunt, tum saliva copiose profluit &c. Ægri in Aphthis tantopere debilitantur, quia nil in lactea ingredi potest. qui ab Aphthis moriuntur, credo, quod ab hac causa moriantur, nempe quia nullus chylus in lactea ingreditur.

Bonæ. Nam tum materia jam semiputrida exit, & vasa se contrahunt, si vero renascantur, tum pessimæ sunt, nam liquidum adhuc requisitum subducitur. Si Aphthæ palatum oc-

cupantes decies vel duodecies cadant, tum periosteum ossis palati, quod est valde crassum consumetur, & tandem ipsum os cadit, & oriuntur horrenda symptomata, uti in Lue Venerea. Vidi ægros matulas aquæ plenas excrevisse, nempe in tam magna copia, quasi salivarent, tum suasi ut illam aquam deglutirent, ut os ventriculus & reliquæ partes madescerentur.

§. 981. Tristis eventus sæpius docuit, quod crustæ sæpe tam densæ & pertinaces fiant, ut vix à parte, cui adhærent Aphthæ, separari possint, pars tali crusta obsita putrescens plane perit.

Eroso &c. Palatum solum habet coriaceum illud integumentum si illa crusta diu hæreat, & febris adsit, tum infariores partes exulcerantur, & sæpe omnia sub involucro perduntur, crusta ex ore cadit, omnia exulcerata usque ad os apparent; hinc non putandum, ut vulgo quidem fit, Aphthas esse crisim, sed novum symptoma subortum, cum quo sæpe pejus, quam cum priori confligtantur.

§. 982. 1. *Humorum.* Medicus, quantum fieri potest, naturam adjuvare, vel si sint obstacula, tollere debet, cæterum natura effectrix manet sola, nam ut dicit *Hippocrates* natura sola sibi sufficit in Aphthis, attamen tumores parvi seu papillæ aphthosæ elevantur semper sursum à vi vitæ, ergo præcipuus scopus est, ut hæc materies aphthosa lente & moderate & æqualiter protrudatur, quod fit tenendo motum sanguinis in statu moderato, ergo tunc vires vitæ non statim sunt minuendæ per venæ sectionem, ut Medici faciunt, qui credunt tunc adesse quandam malignitatem & omnes ægros

ægros mori. Alii Medici fuerunt præsertim externi à plagis calidis venientes, qui sudoriferis tunc uti voluerunt, sed qui urget materiam non coctam in vasis, ubi hærent obstructiones, ille ibi gangrænam procreat, ergo tunc sudorifera non sunt danda; sed quando materies est cocta, tunc per sudorifera curari potest.

Crustæ ulcerosæ. Si hæc fiat, tunc superior pars sensim abscedet.

Resolvente. Nempe aqua cum Nitro puro, Nitro Stibiato, Sale Prunellæ, Polychresto.

Abstergente. Melle.

Ex eisdem. Hoc plerumque negligitur, sed observavi in plurimis ægris adesse Diarrhæam, tum vidi mea medicamenta non penetrasse, dein exhibui balnea, fomenta ex aqua tepida, sero Lactis vel Lacte dulci, vapores extrinsecus ex iisdem feci eo proposito, ut, quæ via ordinaria in corpus introducere nequibam, tentarem per poros corpori ingerere, quod optime succedebat.

Lapsus. Omnis enim crusta per vim vitæ est superanda; nam tantum consolidat & cura plerumque subsequitur.

Cibus. Nam si nil detur, moriuntur ægri, quia nil accedit, balnea externa per totum corpus fieri possunt nempe pannos & spongias hinc illinc ponendo, vel ponatur æger in balneo, si sat virium habeat, hac ratione liquidum imbibitur, balnea & fomenta ex sero Lactis fieri possunt; cibus semper sit glutinosus, nempe aqua vel lac cum pane addito pauxillo Vini vel Mellis, sic fit cibus lenis, abstergens, Saponaceus, Nutriens, Amygdalata spissa aliquantulum sunt rejicienda, quia sese non insinuant,

nuant, verum vinosa & hydromelita hic præferenda, nam inertia peccat; nil penetrantius est quam vinum cum duplo aquæ permistum & calide potatum, si vero Mel addatur, tum fit optimum remedium. Potus sit talis, in quem ingrediuntur remedia, quæ inferne laxant, hic potus primo in ore est retinendus, tum in ventriculum est dimittendus.

2. Æger teneat tenue liquidum in ore pro gargarismo vel fomento, hacque ratione crusta desquammatur; non nulli voluerunt hoc solum curare per remedia detergentia, sed male, nam medicamenta mollissima esse debent, omnibus enim notum est, quod à diuturna lavatione epidermis cadat & speciem sordis exhibet, sic & hic hoc dicitur macerare Aphthas, si Aphthæ tantum in ore sint, tum gargarismata sufficiunt, sed & hærent in æsophago, ventriculo, intestinis tenuibus, in crassis vix unquam deprehensæ, hinc non modo in ore, sed in tota hac fistula crusta est solvenda, quo faciunt clysmata ex aqua, Melle, Sahccaro, decocto panis, quæ bona sunt ad locum, vitam & victum, ad os omne mucilaginosum maturans & emolliens est optimum, hinc Belgæ invenerunt Raparum & Rosarum succum expressum; quia mira est substantia Rapæ, nam in Rapis est vis lactescens, saponacea, abstergens, tum Mel Virgineum non coctum addatur, & in hoc decocto Raparum diluatur, hoc remedium omnia alia medicamenta nota superabit, sed Hyeme vix adsunt, quando Rapæ non valent, tum inventum est decoctum Dauci lutei nostratibus, licet non tam bonum sit, ut Raparum, si nec hoc adsit tum semina vel farinæ Lini recentia cum aqua decoquantur ad spissitudinem tantum

tum Lactis dulcis, addatur Mel recens, alii sumunt decoctum Althææ, vel Malvæ, nil refe-t, modo sit blandum abstergens, saponaceum, emolliens; talia clysmata sunt optima, si alvi fluxus non adsit, tum crusta laxantur & ad lapsum disponuntur. Chirurgus, qui resolvere vult, febriculam intus excitare & externe emollire debet, tum aqua Hordei est optima, cum syrupo Violarum vel Capillorum Veneris; vel quinque radicum Aperientium, vel Althææ Fernelii &c. si æger tum similia potet & in ore pro fomento teneat, & per clysmata accipiat, tum omnia loca, simul emolliuntur; ergo dentur pro victu jura carnium, decocta cum Milio vel Secali, & nihil magis prodest in hoc casu quam Dauci radices rasæ vel decoctæ cum aqua, quo diutius eo melius, transcoletur per linteum & exprimatur, expresso addatur syrupus Althææ & fiat gargarisma: vel Rapæ crudæ & non decorticatæ pressæ etiam sunt optimæ, cui succo expresso addatur Mel.

3. Si crusta ceciderit, tum ilico roborandum, nam vasa ibi tum sunt laxissima, vide *Materiam Medicam*; crusta aphthosa e lingua delapsa sanguis sæpe pleno rivo salit, idem in gutture, æsophago, ventriculo & intestinis sæpe fiet, tum dandum est medicamentum blandum, demulcens, vulnerarium moderatissime roborans, nam postquam crusta decidit, vasa à liquidorum appulsu nimis laxa admittunt & transmittunt partes crassiores, hinc roborantia prosunt; hic egregie conducit syrupus Cichorei cum Rheo, qui syrupus Rhabarbari quoque vocatur, hoc remedium roborat & simul purgando deterget, vitellum ovi cum aqua Rosarum cum pauxillo Terebinthinæ Venetæ etiam hic est optimum, sic

& omnia decocta vulneraria, oleum Amygdalarum dulcium recenter expressum, emulsiones ex Amygdalis & seminibus Papaveris.

4. Hoc omnes Medici neglexerunt. *Sydenhamus* mirabatur, quod in morbis Acutis post Aphthas delapsas omnes morerentur, verum dicit Corticem Peruvianum æque ac febrim Intermittentem id sustulisse; vasa enim sunt nimis laxa, tum requiritur validum corroborans decoctum Rhei parum ustulati, terra Catechu Orientalis, qui succus est expressus ex acerbis immaturis quibusdam fructibus Indorum, Cortex Peruvianus, Tamarisci, decoctum Granatorum, syrupus Mororum, Myrobolani Citrini, Rheum siccatum & tostum, & breviter similia adstringentia quæ huc mirifice faciunt.

5. Hoc fieri potest ex Rhabarbaro &c. si vero quis non purgetur, tum materia relinquitur, pessime hinc agitur, hinc semper purgans est dandum. v. g.

℞. Rhei el. ʒj
Myrobolani ʒij

Coq. in s. q. Aquæ puræ
ad Colaturam unciarum v.

Vel

℞. Decoct. Tamarind. ℔ j
Syrup. Cichorei cum
Rheo ℥j
M.

Bibat de hoc potu ter quaterve de die, hac ratione sensim roborantur vasa.

§. 983.

§. 983. Hic multa problemata Practica solvuntur.

Cur in febre cum Diarrhæa? Quia in initio liquidissima materia de sanguine subducitur, & crassissima relinquitur in vasorum extremitatibus.

Cur in Pueris? Quia ibi natura est languida.

Cur imprimis in senibus? Quia humores sunt lentiores, & vasa laxa & debilia.

Cur maxime medicamenta? Quia extrema vasorum oscula multo plus constringuntur.

Data? Si Diarrhæa laboranti imprudens Medicus dederit adstringentia, nulla purgatione præmissa tum materia, quæ est expurganda, retinetur, quod pessimum est, nam lupus in stabulis includitur unde Aphthæ oriuntur.

Cur in talis morbi initio? Quia tum mala materia educitur & detergetur id, quod oscula vasorum postea obsedisset, hinc dicit *Sydenhamus*, quod in Diarrhæa Epidemica, prius purgante dato, expurgetur viscididitas, & materia, quæ Aphthas creare posset, tollatur.

Cur in Pessimis &c.? Quia in his ventriculus obsessus est Aphthis, quæ ceciderunt, & nudæ sunt papillæ, tum hic fit convulsio; hoc signum est, quod pars superior ventriculi nervosa occupata sit crusta aphthosa, qua deinde deglutita nervi hærent nudi, unde postea ventriculus facile inflammatur.

Cur ora aphthosa? Quia hic ingesta non mutantur, & in lacteis non admittuntur, hæc quoque causa est, quare aphthosa tunica ventriculi Lienteriam creat. *Hippocrates* hæc tria symptomata simul jungit, quia tum ventriculus Aphthis obsidetur. Vide *Forestum de Aphthis*, qui omnium optime de morbis Batavorum, ac proinde Britannorum quoque scripsit videatur

quoque Ketelaer de Apthis.

Cur aphthosa tunica &c.? Quia humor diluens in ventriculum non deponitur, & cibus, ut intravit, exit.

Cur aphthæ nigræ? Quia vasa sunt gangrænosa.

Cur aphthosum os? Si in ore sint Aphthæ, vel si vascula uterina his obsideantur, tum certissime oritur abortus, quia uterus non transmittit requisitum nutrimentum, & quia sanguis videtur esse cacochymicus, qui per vasa uterina transmitti non potest.

Cur in putridis? Cur Aphthæ in Phthisi pulmonali occurrunt, ille certe inde moritur, quia illi bulla oritur in pulmone, & jam simul Aphthæ, hincque idem languor peccat & humor liquidissimus consumitur, hinc idem verum est in hominibus, qui moriuntur ab ulceribus internis, quia materies, quæ ad loca ulcerosa vadit, ad illa oris vasa quoque æque ferri potest.

Cur tumor? Quia spes erat Aphthas decidere posse, jam vero nulla est, nam nil periculosius, quam potum vel aërem frigidum applicare, quia tum loca obsessa à frigore plus arctantur, hinc observatum est, quod homines, qui Aphthis laborabant, si aquam frigidam tenerent in ore, subitò mortui sint, quia reliqua viva tum suffocantur.

Cur sudor? Quia Aphthæ calorem requirunt, nam frigus ipsis inimicissimum est, hinc si frigescant, ægri pereunt, hæc vero agunt instar frigoris.

§. 984. Ab his primis æger fere nunquam moritur, si vero Aphthæ sunt opacæ, tum raro evadit, hoc hic repeto, quia vulgo putarunt Medici, Aphthas semper esse lethales, quod minime verum est, at verum hoc est, quod ante aliquot annos pauci ab his evaderent, quia perperam tractabantur, sed nos jure meritoque jactare possumus

mus hodie plures servari, quam mori, si secundum hancce nostram methodum tractantur, addatis velim, quod olim in naturam & sedem mali non inquirerent, ad quam sedulo hodie attendimus, hic vero est notandum, quomodo se in ore habeant, nam sic hærent in interioribus nempe æsophago, ventriculo & intestinis.

Nephritis.

§. 985. Inter morbos humano generi non tantum, sed brutis quoque, non raro animantibus familiares, molestos & sæpius lethales, non infimi momenti censenda est Nephritis, vox Græca, cujus derivatio non obscura, si modo consideretur, quod νεφρὸς sit *ren*, à ῥέω *fluo* & φέρω *fero*, renes enim à sanguine serosum separant humorem, qui per ductus urinales fluit & defertur in vesicam urinariam. Quemadmodum igitur Pleuritis est membranæ internam costarum superficiem cingentis; Hepatitis externum hepatis involucrum constituentis; Phrenitis piæ & duræ Matris cerebrum omne ambientis, vel ipsius quoque ceribri substantiæ inflammatio; sic Nephritis proprie vocari posset renum inflammatio; juxta veteres quosdam Medicos, ut ex *Hippocrate* colligere licet, hoc nomen Nephritis, omnibus fere renum affectibus commune fuit, hinc inter Pleuritidem & Nephritidem nulla est differentia nisi ab emissariis, & quod aliquando calculo in renibus hæreant; ex his patet, Nephritidem esse renum inflammationem, renes vero inflammari posse novimus, quia est structura vasorum sanguineorum, primo cognoscitur morbus, si adsit, do-

dolor punctorius & ardens, nam valde errant illi Medici putantes renes non dolere posse, nisi à calculo, atque dolor à convulsione, rene absente venire potest; ille dolor est, ubi renes siti sunt, attamen (licet renes in corpore sano ad dorsum jaceant) Nephritici non de dolore dorsi, sed laterum conqueruntur propter musculos vicinos; deinde adest febris Acuta, continua, urina pauca rubra & flammea vel in magno malo & aquosa, quod præcipuum est symptoma, nam talis urina notat inflammationem renum; stupor cruris propter musculum psoam & nervos decurrentes, porro dolor inguinis quoniam vena spermatica incumbens decurrit versus illa loca, sinister tamen ren habet testem lateris dextri tumentem, quoniam vena spermatica comprimitur, ut sanguinem deferre non possit.

§. 986. 1. *Decubitus.* Homo, qui nunquam laboravit Nephritide & coactus est à Podagra vel crucifragio vel simili morbo in dorsum incumbere, accipit Nephritidem.

Nixus. Ut in luctatoribus contingit, quoniam hi homines tantum aëris capiunt, quantum possunt in tali nixu, sanguis in vasa premitur; unde oritur dilatatio vasorum & sæpe inflammatio; secundo quemadmodum omnes causæ, quæ sanguinis circulationem impediunt, creant inflammationem, sic etiam omnes causæ, quæ impediunt urinam, eadem producunt; multi bajuli & agricolæ incidunt in veram inflammationem renum, quando conantur tollere aliquid de terra, nam tunc multum aëris in pulmone retinent, quod efficit, ut sanguis maxime adigatur in majora vasa, unde mi-

nora

nora vasa comprimuntur, unde errores loci & pessimæ inflammationes oriuntur.

Lapillus. Nil agit in Nephritide, nisi quando ille calculus urgetur in vasis, ubi quiescebat, vel quando vasa urgentur contra illum.

2. Si thrombus sanguineus, calculus, vermis, lapillus, materia gypsea hæserit in pelvi vel in ureteris initio, ut urina evacuari non possit, tunc renes extensi quasi cera implentur, hinc inflammantur.

3. Hæc omnia aliquando producunt Nephritidem in corpore, ubi nunquam fuit ex. gr. cursus magnus sæpe facit mictum sanguinis, ita ut homo tota vita laboret Nephritide, nam sanguis crassus ad vasa urinosa urgetur; urina emungitur, para crassior manet, sic tota vita suppuratio adest in hac parte vel alia mala.

4. Nam illa vasa quoque habent suos nervos, & fibras, ergo spasmis affici possunt, ut in Hystericis & Hypochondriacis patet, quando etiam spasmodicam illam convulsionem patiuntur, tum retinent urinam & renes constringuntur, ut ne gutta quidem permeare possit, unde oritur inflammatio.

§. 995. Nulla est pejor inflammatio, quam ubi æger claram urinam mingat propter contractionem vasorum; hoc docet tenuissimum transire, crassum relinquere, sal, oleum, & cætera remanentia putrescere.

Pessimum. Vide *Sydenhamum de Nephritide*, nam tunc sanguis ruber in vasis primi generis sic stetit, ut omnia vasa urinifera comprimantur, unde nihil urinæ reddunt ægri, si vero tunc mittatur sanguis, observavit *Sydenhamus*, urinam profluere incipere, verum si morbus eo usque processerit, ut sanguis mingatur post

ta-

talem ſuppreſſionem urinæ, tum moriuntur ægri, quia vis vitæ tanta fuit, ut vaſa fuerint deſtructa.

Nervis. Vide *Willifium in Tractatu de Nervis*, quod maxime debetur *Lowero*, & *tabulas Euſtachii & Vieuſſentii*; hi Auctores obſervant, quod nervi renum moventes & ſentientes in ganglio maxime conveniant cum nervis ventriculi, meſenterici & inteſtinorum, hinc noſcitur, quod his affectis etiam tota œconomia abdominis pervertetur, ut in Colica Nephritide, nam illi nervi extenſi & irritati agunt in omnes nervos abdominis, hinc brevi hic morbus eſt lethalis ob dolorem ſummum, niſi mox juvetur. *Willifii* figura nervorum, qui in abdomine & thorace ſpectantur, eſt veriſſima, & eſt tantum plexus nervorum, in meſenterio; cæteri nervi in extremis partibus deſumpti ſunt ex brutis; quando ægri vomunt, nauſeant &c. tum bonum eſt ſignum ſi laborant calculo renali.

§. 988. 1. Si Nephritis per naturam ſanetur, tum vel per reſolutionem vel per coctionem curatur.

2. Ruffa inſtar potus Coffé. Homines falluntur, qui quando dolore renum laborant & talis urina ſequatur, quod putant ſe peſſime habere, obſtructæ enim viæ reſolvuntur, ut id, quod ibi hæret, expelli poſſit, ergo hæc reſolutio eſt optima, ſi hi ægri modo bonum Medicum, qui hæc per balnea promoveat, nacti optime ſe habeant. *Helmontiani* agnoſcunt ad Nephritidem ſanandam tria auxilia cognita, miſſionem ſanguinis, laxationem partis obſeſſæ & materiæ dilutionem ac meabilis redditam, decocta in hoc caſu optime proſunt, unde

de acre mitificatur, craffum diluitur & moderate attenuatur; vide *Materiam Medicam*; clyfmata funt optima, quoniam inteftinum rectum renibus fubjacet. In hiftoria calculi patebit, quod omnis fere calculus ortum ducat ex parvo grumulo fanguinis pofito, ubi urina filtratur, quando nunc ren femel inflammatus eft, & ubi inflammatio definere incipit, tum cave ne aliquid inflammantis materiæ remaneat, aliter femper generabitur calculus; ergo Nephritici funt monendi, ut ab omni graviori victu, motu nimio & decubitu corporis abftineant.

§. 989. Prudens Medicus, quando ignorat morbum, fpectat, quid faciat natura, & quomodo curet, hinc tum cognofcet, quæ morbi curatio fit, fi attamen deinde eundem morbum in alio ægro videat, & natura non fanare incipiat, eam adjuvare & impedimenta tollere poteft. Si dolor fit fixus punctorius ad renes ortus, flatus, vomitus, febris violenta, urina pauca, & flammea, ren fcitur inflammatus, per tot pericula edoctus didici curam, ut in Pleuritide folum fufficere, hinc diureticis non tentabo. 1. Venæ fectio eft inftituenda, aqua, ferum lactis & fimilia diluentia funt danda.

2. Serum Lactis recens præfertim, fi vero ingens ardor adfit, lac ebutyratum adhiberi poteft, uti & decoctum florum Althææ, Papaveris Rhæados &c. in *Materia Medica* exploratiffimæ dantur formulæ.

3. Clyfmata immittenda funt pro ratione magnituninis & fixitate doloris aliquando fingulis horis.

4. Alii Medici in Nephritide motum impe-

rant, ne calculus concrescat; sed si adsit illa inflammatio, tum illa motu augetur, quia pars stricta stimulatur & magis impellitur; quies contra laxat, & humores non impellit; vitetur lectus calidus imprimis decubitus in dorsum, quo tum moles omnium viscerum dorso incumbit, & solus in dorso eminet ren, unde arctatur & comprimitur, & inflammatio augetur, hinc potius erecti sedeant ægri.

§. 990. *Opiata.* Quia hæc reddunt musculos Paralyticos, nam calculus exit, quando homo est pacatus, vel quando dormit. Emulsiones in hoc casu conveniunt, vel adhibeantur syrupi Diacodii & Papaveris.

§. 991. Si vomitus adsit, tum signum est inhærere calculum, sed ubi conatur descendere, oritur vomitus, nam Deus hoc posuit tanquam custodem, ut Medicus sciret adesse calculum; hic vomitus tum non est sistendus, sed leni vomitorio sæpe repetendus, donec ex continua concussione descendat calculus, si vero sisteretur vomitus; tum cresceret & renes & ureteres comprimeret, & efficeret intolerabiles dolores. Vomitus est concursus illarum caussarum Physicarum, quas suscitat natura ad impediendum, ne calculus concrescat & dimittat. Ponatur enim caclculum hærere in renibus, qua methodo utar? ut expellam calculum, primum quod faciam, est, ut vias Paralyticas faciam; secundo ut magna sanguinis copia per renes feratur, & tertio per vomitum, ut descendat ad vesicam, assumenda est aqua tepida. quod tamdiu est continuandum, donec illa in ventriculo hæreat, quod simplex quidem sed Divinum est remedium, aliis nil juvantibus, per Diascordium Theriacalem hoc solum fere juvisse

visse vidi, ab aliis vero ortas convulsiones vidi, sed hoc est tutissimum. Aqua tepida est optimum remedium cum syrupo florum Rhœados, Althææ, Jujubini vel Violarum, Glycyrrhizæ, Capillorum Veneris, omnes hi syrupi aut Mel cum Aqua & sero Lactis assumantur, donec maneant in corpore, hæc enim laxant & mirifice juvant, vide *Materiam Medicam*, si nunc calculus vel in renibus vel in urethra vel pelvi & tum parvus adhuc sit, ut per hæc loca transire possit, quæro quomodo expelli debeat. Omnes Medici spiritum Juniperi, Balsamum Sulphuris, alii Sales diureticos adhibent, unusquisque hic de remediis urgentibus calculum cogitat. Calculus est corpus mortuum nil agens nisi mole, pondere, vel aspera figura, sed partes, quæ circumstant calculo, sunt partes vivæ contractæ sentientes, quando se contrahunt, se comprimunt; v. g. si tenetur globulus ferreus acuminibus exstantibus, & si aliquis hunc globum expellere vellet hac methodo, quod manum versum globum premere vellet, faceret intolerabilem & desperatum dolorem, sed si faceret manum Paralyticum, facile expelleretur, quamdiu æger dolorem habet, nunquam dimittet calculum, quamdiu mulieres grumum sanguinis in utero habent, nunquam dimittunt, quamdiu dolent, cogitate nunc, quod omnibus stimulantibus partes plus constringuntur contra calculum, hinc malum exasperatur, sed date huic ægro talia, ut partes fiant Paralyticæ, datetenue oleum, ut flaccescat, date clysmata & Opium, hac ratione millenos ægros curavi oleum Scorpionis, Cantharidum, succus Apii, Petroselini & similia sunt nimis acria

hinc,

hinc semper cogitate de Paralysi inducenda & potibus tenuibus & demulcentibus, ut sic expellatur; omnes herbæ in *Materia Medica* commendatæ præsunt sub forma infusi cum oleo aut aqua.

§. 992. Calculus nonsemper hæret in rene Nephritide affecto, nec hærens pariet per se dolorem, nam est corpus iners, sed vis vitæ calculum contra vasa movens vel facit dolorem in calculum liquidum impulsum, hinc calculus non est impellendus, sed fibræ laxandæ, impetus imminuendus, clysmate laxantur viæ, venæ sectio impetum humorum minuit, & vasa laxat dolor minuitur Opiatis, hac ratione centenos Nephriticos curatos vidi, sic rem concipio non pellendo calculum, sed laxando vias curari debere, & nullum est aliud Lithontripticum quam hoc, serum Lactis est optimum coctum cum herbis emollientibus, hinc totus scopus est debilitare vires, emollire ureteres & simul suppeditare magnam copiam liquidi diluentis cum emollientibus. Omnia calida & balsamica nil agunt, nisi fibræ sint laxæ, tum enim vel sponte vel profluvio urinæ cadet calculus, nam quid juvat hic balsamus Sulphuris, quid Terebinthinus & Cantharides.

§. 993. Simulac sciatur hic abscessum dari, curatio ejus tendanda est, quia pus hæret in loco sinuoso vasculis sanguiferis pleno, unde in tempore exitus suppurationi præberi debet, nam si suppuratio post annum hæreat, raro medelam capit, unde cura fit per maturantia & emollientia, & æger se movere non debet, omne acre salsum, aromaticum, pingue, acre &c. capere nequeunt, sed quæ extrinsecus suppurationem promovent ut decoctum Cicerum alborum vel rubrorum; vel radicum Althææ; Mal-

Malvæ, Parietariæ, Verbasci, & addendæ sunt Becabungæ, Borragines, Agrimoniæ, Nasturtium Aquaticum Caryophilli, Linariæ vel similes herbæ diureticæ & Molles saponaceæ, sunt optima remedia, per quæ emolliuntur abscessus, si hæc per decem dies fiant, quotidie ad urinam est attendendum, an fit adhuc rubra, an fætida, & an pus in ea non subsideat, si non tum emollientibus pergendum, si vero pus in urina appareat; tum sequens medela est optima scilicet sumatur pars Terebinthinæ levis cum dupla parte Myrrhæ & pulvere Millepedum, adde Liquiritiæ succum inspissatum, ex his fiant pilulæ gran. iij vel iv. & æger omni hora tres capiat, & superbibat serum Lactis vel lac ebutyratum, non valde acidum factum, sed acidulum, & hoc fuit magnum arcanum Medici cujusdam apud Guilielmum Tertium in Anglia, vel Aquæ Spadanæ & Acidulæ quæ habent multum ferri, non sunt pretio habendæ, sed illæ, quæ habent parum metalli, vide *Lysterum*; vel decoctum Graminis, Althææ, *Foresti* ex Althæa & Papavere, quæ omnia sunt adhibenda, donec urina appareat bona quæ quando bona apparet, tum Aquæ Spadanæ vel serum Lactis per integrum mensem sunt adhibendæ, hoc decoctum cum syrupo aliquo vel Melle est dandum, & nunquam melius remedium est inventum ad suppurationem & corruptum renem; hæc remedia diuretica macilentiora sunt meliora, quam illa Terebinthinæ & balsami Sulphurati; attamen Terebinthina vel de Pino vel de Laryce optimum hic est remedium, sed pauca copia adhibita, repetita dosi, & imprimis illud, quod prima vice destillatum prodit.

§. 994.

§. 994. Vidi cadaver diffectum, in quo dexter ren nil erat, nisi faccus coriaceus denfus fine vafis, hoc plerumque in canibus mordacibus deprehenditur, qui lumbricos in renibus continent, in quibus tabes renalis oritur, hoc plerumque in ægris invenitur, qui multis annis dolore lumborum laborarunt.

§. 995. Circa renes funt nervi crurales & mufculi Iliaci & Pfoas; qui adhuc motum faciunt, hinc his compreffis oritur claudicatio, tum ex fymptomatibus concomitantibus apparet, an fcirrhus vel calculus claudicationem faciat.

§. 996. Si parum materiæ inflammatoriæ colligitur in uno urinæ folliculo, tum liquido expreffo craffum colligitur, quod craffum eft-eft rubra fanguinis pars; noviftis, quod Clariffimus *Ruyſchius*, poftquam viderat papillas renales *Malpighii*, quas non dixit effe papillas, fed corpufcula fubrotunda parva, quid effet, ignorabat; hæc corpufcula habere videntur fuos folliculos, fed talis folliculus non capit centefimam partem grani fabuli, ergo pofito granulo & grumo arenæ depofito, quod hæret exficcatur ftagnando, abeunte liquido, unde materia hæc eft quafi thrombus ficcus, qui per urinam ibi formatur, & per eam fabulo plenam perpetuo alluitur, unde hæc urina fuum fabulum (nam non datur urina fine fabulo) applicat huic thrombo, unde calculus formatur, & quod fabulum fit urina patet, fi ftet per tempus, cadit enim tunc ad fundum & ad latera vafis accrefcit, vel in fuprema parte eft fpuma natans, ac fimile apparet in multis liquoribus v. g. fi Nitrum folvatur in aqua, hæc aqua filtretur, fecum fert particu-

las salinas, quæ Baculo imposito accrescunt; si sumatur materies purulenta & affundatur urina sani sine ullo signo calculo laborantis hominis, parum exsiccata sit materies, affundatur nova, tum crescit crusta circa materiam. Si urina sani hominis à calculo liberi ponatur in vase, tum post aliquod tempus apparent primo scintillæ ad latera vasis concretæ: si diu hæreant, tum fiunt nigriores, & tandem calcalus, si iterum nova urina affundatur, tum habetur calculus vitreus, & post tres dies effundendo veterem & affundendo novam, calculus oritur, qui totum vitrum implet, hoc experimentum sæpius institui, sed vidi unicum contrarium casum *Rotterdami* in urina mulieris, quæ semper mansit aquosa; hinc apparet ex ipsa urina apparere calculos, si conspiciatur calculus, tum in ejus medio est punctum rubrum, quasi sanguineum; *Jacobus Fernelius* observavit punctum minimum seu basin calculi esse punctum sanguineum, cui sabulosa materia ex urina se apponit, & sensim crustam lapideam apponendo calculum efformat, hinc patet quod si urina calculosa foras non excerneretur, totum nostrum corpus facile rigesceret; deinde illa incrustatio fit circa pus efformatum ex inflammatione in rene &c.

§. 997. *Hippocrates in descriptione morborum Acutorum* dicit, si in morbis Acutis oriatur dolor circa lumbos & urina talis, uti hic describitur, ægri moriuntur.

Nil juvat. Quando hoc videmus, tum optimum remedium erit, magna copia mittere sanguinem, ilico dare copiam sufficientem potus,

§. 998. Omnis Nephritis nunquam à cal-

culo, sed semper ab inflammatione à calculo producta oritur; homo generosus *Bruxellis* momoriebatur, cujus corpus ad balsamo condiendum apertum fuit, in illo renes calculo obsessi sunt inventi, licet nunquam de mictu sanguinis & de doloribus in renibus conquestus fuerat, hinc patet, quod calculus non faciat Nephritidem, sed tantum si partes nervosæ circa calculum positæ inflammentur.


Curationem. Nam inflammatio creat tumorem, tumor comprehendit calculum, ergo curationem antea docui.

Crisis. Si æger tertianarius liberatus à morbo una vel altera hora ante sudorem reddat urinam nigram & rubram instar amurcæ olei vel cerevisiæ, manifestum est signum, quod subita Nephritis est orta; hinc si urina stranguriosa, quæ in omni morbo est copiosa cum sedimento crasso ad fundum delapso, mingatur, tum solvitur morbus, & oritur dolor ad lumbos, tumque nulla convenit venæ sectio, quia vasa sunt nimis laxa. Nephritis in febribus oritur, quia ob morbi vigorem sanguis ruber in rene sistitur & vasa urinifera comprimit.

Ischuria primo oriri potest in ipsis renibus ab ingenti inflammatione hisce vasis compressis, vide *Tulpium de hoc malo in viro Britanno.* Secundo Ischuria fit, quando aliquid tophosum occludit plelvim, tertio quando calculus angustiis pelvis elapsus venit in angustias ureteris, ita ut inde exire non possit, & tunc ob compressionem ureteris ibi fit inflammatio circa calculum. Ischuria fit vitio vesicæ primo quando calculus hæret in collo vesicæ, secundo à residuo Gonorrhææ male curatæ, quando ulcus ad collum vesicæ recrudescit, & tumorem

ibi

ibi creat, unde tum catheter intrudi non potest, quando vero aliquamdiu mansit Ischuria & urina non dimitti potest, tum tandem aliquid puris dimittitur, quo dimisso statim urina magno impetu profluit. Quando æger in hoc casu diu detinuit urinam, tunc enim urina solet viam quandam capere intra abdomen faciens speciem Herniæ in vesica & diverticulum vel decidens in scrotum. Ischuria oritur vitio ureteris, aut à calculo aut à scirrho aut à tumore, si vero sit tuberculum, tum suppurari debet, antequam morbus curari possit. Quando calculus in ureteribus hæret, tum vomitus & concussus in Rheda juvat, si spes sit calculum exire posse, sed tamen, quo plus calculus urgetur à tergo, eo minus dimitti potest & tota spes tum in eo consistit, ut calculus frangi possit.



Apoplexia

§. 999. Apoplexiæ denominatio debetur vocabulo Græco, namque venit à Græco verbo ἀποπλήσσω, seu ἀποπλήττω quod Latinis significat *percutio*, hinc Apoplexia percussio, Apoplecticus percussus, cujus verbi vis significat talem percussionem, quæ fit à tali causa lædente, à cujus illatione homo subito terræ prosternitur, motus & sensus impotentia afficitur, accepta hac denominatione à rebus extra nos positis, ob similitudinis, quæ cum hoc affectu confertur, convenientiam. Unde multa ac varia Auctoribus passim nomina huic affectui sunt indita à

symptomatibus (quæ in hoc malo accidunt) derivata, quibus voluerunt naturam hujus affectus eo lucidius exprimere & nomen rei denominatæ conveniens facere; vocatur enim *Morbus Attonitus* sic à *Cornelio Celso*, qui Latinus *Hippocrates* vocatur, ab aliis *Sideratio* appellatur, *Stupor* quoque à multis dicitur, uti *Resolutio nervorum*, *Paralysis universalis*, *Paracelsus* nominat *Guttam*, Belgi utuntur vocabulis, de *Graaktheyd*, *Beroertheyd*, *Popelsye*, de *hand Gods*. Apud *Hippocratem* Apoplexiæ vocabulum aliquando ad certa saltem corporis membra, capite libero refertur, sic *Ludovicus Duretus commentator in Coacas Hippocratis*, ait, *Apoplexia* κυρίως dicta, est *Resolutio universi corporis*, *Paralysis dimidiati*: *Paraplegia autem quorumlibet artuum*. Si in alterutro latere corporis immobilitas, sensusque privatio est, Hemiplegia nominatur, atque hæc nomina sunt, quæ ab hoc morbo derivantur; antequam ad reliqua pergamus, vel ulterius de hoc morbo sermonem faciamus, necessario ejus definitio est præmittenda. *Apoplexia definitur, quod sit privatio omnium sensuum externorum, motuumque omnium ablatio, superstite pulsu & plurimum forti & respiratione magna, & difficili, semper tamen cum stertore una cum somno profundissimo*. Hic morbus vel subito vel accidentaliter quasi invadit, vel subsequitur morbum aliquem, ut Epilepsiam, Lethargum, Convulsionem & Vertiginem. *Hippocrates* definivit Apoplexiam & *in libro de Glandulis*, inquit *si quidem medeatur, multam turbationem habet, & mens desipit, cerebrumque convulsionem sentit, totumque hominem trahit, neque in se vocem edit, sed suffocatur, huicque Apoplexiæ nomen est.*

§. 1000.

§. 1000. Est ergo Apoplexia secundum vulgarem & satis accuratam definitionem: repentina actionum animalium omnium sensuum scilicet externorum & internorum, motuumque voluntariorum cum facultatum principum læsione ab influxu spirituum in nervos prohibito dependens abolitio. Veritas hujus definitionis ex effectu (ut reor) abunde patet, nam quos hic effuctus adoritur, illi fulmine quasi tacti, nullo rationis vestigio remanente subito prosternuntur (evenit equidem ut plurimum, quod sensuum hebetudo, & aliqualis fatuitas præcedat, & debilitato cerebro quasi ad hunc morbum prædisponantur ægri, sensimque stupidioris evadant judicii, præsertim quod jam longa fatigavit debilitas) superstite licet in principio pulsu plerumque forti, sed cum respiratione debili, magna, ac stertorosa, moribundis simillima, quæ crescente demum & degenerante in pejus morbo, naturamque superante, decrescunt & quasi evanescunt, unde corpus una cum imagine profundi perpetuique somni & mens stupefacta, actionibus suis peragendis inhabiles evadunt. Distinctio inter Apoplexiam & somnum profundissimum est, quod hominem profunde dormientem excitare possim, sed Apoplecticum non.

§. 1001. Plusquam centum Auctores fide dignos inquisivi, & ex iis veras observationes sumpsi, quas hic apposui, unde concludo, quod Apoplexia sit status, in quo cerebrum disponitur, ut nulla vel parva sit spirituum secretio vel eorum itus & reditus ad cerebrum impediatur, cerebelli actione restante, ut ex cordis pulsu & respirationis organis fere adhuc liberis patet; hinc Apoplexia est liber transfluxus, spi-

rituum cerebri in medullam cerebri & nervos inde oriundos, & nervos sentientes & vitales; nunquam est vera Apoplexia nata, nisi præcesserint plurimæ causæ, quæ tantum non faciunt Apoplexiam, sed prædisponunt; omnis igitur Apoplexiæ causa est omnis illa, quæ sensorium commune sic disponit, ut functiones animales desinant, efficient nempe ut spiritus animales inservientes animalitati, nec deorsum ire nec motus solitos sursum imprimere possint.

§. 1002. Inter causas Apoplexiæ Auctores memorare solent caput magnum, tum arteriæ quæ ad caput vadunt, magnam sanguinis copiam ferunt. Collum breve; nam nullum fere Apoplecticum videbis, in quo hoc non observatur, hinc qui collum breve habent, plerumque ab Apoplexia moriuntur nisi forte Peste pereant; omnes vero quibus longum & gracile collum plerumque Phthisi pulmonica pereunt, hinc brutis raro accidit Apoplexia, nisi à contusione. Corpus crassum & pingue ut plurimum adoritur, quia tum arteriolæ vicinæ comprimuntur, & 1. sanguis copiosius ire cogitur ad cerebrum, idem est de pituita accummulata. Temperies plethorica & cacochymia pituitosa multum excellens, id est, multum humorum pituitosorum in corpore aggravans.

2. Ad causas referri possunt, quæ sanguinem inspissunt, & lentiorem faciunt, aut lympham viscidiorem efficiunt; quæ quantitatem sanguinis nimis adaugent, ejusque ad caput affluxum incitant & cogunt, vel refluxum à capite impediunt. Quæ omnia à sex rerum non naturalium vulgo ita dictarum diverso abusu pendere veritati consonum est, ut sunt: nimia

mia & frequens vini & liquorum ſpirituoſorum potatio, id eſt, qui per conſuetudinem potandi ſe ad hunc morbum diſponunt; unde *Pythagoras* ebrietatem ajebat eſſe inſaniæ meditationem; vinolentia enim cerebro ebrietatis uſu in violentiam tranſit. Polypoſæ concretiones eo uſque pelluntur, ut ad arteriam carotidem pervenire poſſint, eædem concretiones in arteriis vertebralibus ſive circa cor ſive intra cranium hunc morbum etiam producunt, quæ ſe manifeſtant pulſu inæquali, Vertigine, Scotomia, Cordis Palpitatione, nam docuit *Malpighius* pleraſque palpitationes oriri à polypo intra arterias cordi vicinas, tum illi homines moriuntur Apoplectici, quando illa polypoſa materies ſurſum fertur, & ſanguinis tranſitum in cerebrum impedit. Pulſus & reſpiratio in hoc morbo increſcunt, quia ſanguinem copia longe minori tranſmittit ad cerebrum ac ante, dum adhuc ſanus erat; cauſa aliquando eſt corticis cerebri meningumque intumeſcentia, quam ab obſtructionibus in hiſce vaſis natis, fieri poſſe dicunt alii, & ſunt Auctores plurimi, qui ajunt (imo fere omnes Medici ſunt in hac ſententia) venena atque Opiata ſæpiſſime nimia copia aſſumpta facere Apoplexiam; nam ab Opiatis primo in torporem, paulo poſt in ſomnum profundiſſimum, dein in Apoplexiam & ultimo in mortem.

β. Quia cortex cerebri inflammatur, unde ſanguis non appellitur, ut ſpiritus ſecernentur, ſed colligitur, v. g. video in ægro Phrenitidem, facies, nareſque ejus liqueſcunt, ſtillant & hæc notant cerebrum obſtructum, ita ut ſanguis per carotides internas tranſire nequeat, ſed per externas tranſeat, hinc oritur Apoplexia.

γ. Cognoscitur ex voce solito tardiori, si senex sit pituitosus, anhelans, facie inflata, denotat Apoplexiam, sed vix tarda, ut stent quasi meditabundi, antequam vocem edant, his senibus plerumque fere ausim prædicere Apoplexiam. Pro internis & proximis agnosco causis omnia illa, quæ excretorios glandularum cerebri ductus, nervorumque orificia, verbo sensorium commune; qualia sunt lympha crassior, tenacior, glutinosa, pituitosa, aut infarciunt, aut comprimunt, unde senes juxta illud *Virgilii.*

> —— —— *Sed enim gelidus tardante senecta.*
> *Sanguis hebet, frigentque effætæ in corpore vires?*

Catarrhosi, frigidi, humidi, pallidi, leucophlegmatici huic morbo magis obnoxii deprehenduntur. Pulsus & respiratio in aliis solito fortiores, in aliis debiliores sunt; id tam diverse in diversis casibus accidere opinor, ex illa sanguinis diathesi, qua circuitu plus minusve vel sit aptus vel impediatur: hoc tamen in plerisque obtinere puto, quo mors propinquior, eo pulsus & respiratio magis inscrescant; quod hinc explicare posse puto, cerebrum nempe nunc adeo obstructum, sanguinem copia longe minori transmittit ac ante, qui tamen in plerisque casibus eadem copia ad caput fertur, quare tanta majori copia & impetu per alias capitis partes agitur, unde in multis casibus, genarum inflatio; rubor, spuma ad os & longe majori quoque copia & impetu per cerebellum simul pellitur, unde secretio spirituum

ibi

ibi largior, defluxus in nervos functionibus vitalibus efficiundis inservientes, major hinc pulsus & respiratio magis aucta, sanguis autem tanto nunc impetu per cerebellum dum rapitur, attritus in vasa ibi fit magnus, diu haud tolerandus, unde inflammatio oritur, destructio & tandem denique mors. Humores viscidi vel pituitosi vel aquosi in cerebro præternaturaliter contenti, coeunt, & non solum cerebrum, sed etiam ventriculum cerebri opplent, atque nervos premunt & spiritui animali transitum præcludunt; quando sanguis nimis lentescit muco, ut ad corticem cerebri perveniens transire non possit, oritur Apoplexia frigida.

Apoplexia etiam producitur iis, quæ spirituum transitum eorumve secretionem intercipiunt; præterea autem in ipsis spiritibus causam morbi sæpe hærere opinor, cum illi vel defectu vel qualitate depravata peccant. Defectu illos aliquando peccare puto, in illa præsertim Apoplexiæ specie, quæ hominibus in summo senio accidit, nec tamen semper, quum manifesto constare videtur, quod sæpe nimia cerebri callositate & ineptitudine hoc vitio nata, ad spiritus transmittendos secernendosque inducatur, hujus quippe vitii, cui nervi, membranæ &c. obnoxii sunt, cerebrum immune omnino esse, non arbitror. Spiritus qualitate peccare posse verum videtur in iis, qui ab Opio vel spirituosis liquoribus nimia copia assumptis in hunc morbum cadunt, primo nempe in somnum, qui in Apoplexiam terminatur, incidunt, cujus rei ratio, spirituosos humores quantum attinet, hæc potissimum esse videtur, liquores spirituosi magna nimis copia assumpti, mobilitate & acrimonia sua totum

pervadunt corpus, fibrasque stimulant, unde major motus, celerior pulsus, & quæ inde pendent alia, hinc, magnum spirituum dispendium, unde tandem somnus, transpiratione interea mobilissimæ assumptorum spirituosorum partes auferuntur, reliquosque corporis spiritus nunc valde motos maximam partem secum rapiunt, cæterosque humores spiritibus plurimum nunc orbatos, vappescentia & inertia indutos, bonis spiritibus generandis ineptos, reliquosque adhuc præsentes spiritus crassos, torpidos, cerebro rite permeando impares, in corpore linquunt; unde tunc Apoplexia ebrietati summæ superveniens, videtur autem & hac ratione aliquando agere, nempe quod nimia copia assumpti calore corporis rarescant, sanguinem rarefaciant, simulque valde movent, & magno impetu in corticem cerebi adigant, unde ille tumens & se versus partem minus resistentem, medullarem scilicet substantiam, extendens, hanc comprimit, unde omnia, quæ in Apoplexia observantur symptomata; qui status certe, vere nunc est Apoplecticus, eodem modo inductus, ac qui tumore intra cranium nato vel sanguine ibi extravasato producitur.

α. A Plethora sæpe Apoplexia oritur, plethora est abundantia sanguinis boni, qui si per aliquam causam parum urgeatur, vel rarescat, tunc arteriæ distenduntur, & magis reagunt, unde fit major calor, arteriæ cervicales expansæ partes subjectas comprimunt; hinc Apoplexia; quæ quoque oritur à commessatione, Ventriculum nimis distendente, unde Aortæ diameter minuitur, & pellitur sanguis versus caput, idemque obruitur vel a magna ebrietate, homo enim profunde ebrius pro tempore est Apoplecticus stertit; imo si

eum

eum urâm, non sentit. Ab Opio nimia copia assumpto, Apoplexia sæpissime nascitur, ratione fortassis, qua spirituum summam volatilitatem infringit; ut ex Phænomenis colligi posse videtur: omnes quippe Opium magna nimis copia qui assumunt, in torporem primo, in somnum paulo post profundum, imo Apoplexiam incidunt; huic vero sententiæ magna Opii penetrabilitas, & deobstruens & sudorifera vis repugnare videntur; quam autem obstructionum sublationem efficere opinor ratione, qua constrictiones vasorum, unde sæpe obstructio, inflammatio &c. tollat, imminuto nempe spirituum appulsu & impetu in vasorum fibras circulares, quamobrem quoque vasorum latera humoribus à tergo appellentibus facilius cedant, & particulam ratione vasis diametri nimis magnam, ideoque obstruentem transmittant. Nec magna sua subtilitate, in humorem adeo subtilem, spiritus scilicet nostri corporis, agat, & pondere tam parvo vim suam exerat, nec id verum est, quod omne subtile multum & penetrabile, omnes humores attenuet, quam variæ qualitates spiritus dantur, qui se invicem, cum confunduntur, coagulant, ut Chemia demonstrat. Causa aliquando ab acribus esse potest, quæ omnia vasa ita solvunt, ut liquor acer exiens cerebrosorum nervorum origines lædat, comprimatque. *Wepferus* omnium optimus de *Apoplexia* auctor sanguinem inter duram piamque matrem, multum atque copiosum, qui etiam se inter anfractum cerebri insinuaverat, reperit, nullo cruore inter duram piamque matrem existente, eam ortam in aliis iterum vidit; *Willisius* invenit abscessum ruptum duræ meningis. Vomitoria Apoplexiam

N 6 creare

creare, hæc in Regno Brittannico frequenter adhibentur, nil tamen est periculosius quam vomitum dare, multis hominibus, dum vomunt, rumpuntur arteriæ in naribus tum iis apparent facies rubicunda, oculi rubentes protuberantes, si nunc his detur vomitorium, illud quidem evacuabit, & facile concutietur, sed in ipso actu franguntur arteriæ, hinc in plethora non est dandum vomitorium, nisi prius constet plethoram vasa distendentem non adesse, & largam sanguinis missionem adhibuisse.

β Sinus quatuor dicti cerebri abeunt in locum posticum cranii, qui ubi conveniunt, ibi dicitur Torcular Herophili; si jam in osse occipitis oriatur exostosis magna, quæ quadrivium comprimit, sanguis venosus redire nequit, interim cerebrum continuo magis magisque repletur sanguine per arterias allato, unde in initio oritur vertigo, sensus hebes, & capitis gravitas, vel ad Torcular Herophili dantur vasa venosa crassissimas fibras musculosas habentia, unde oritur scirrhus, sæpe magna inflammatio, tum cortex cerebri comprimitur vel initium medullosum nervorum, sic si exostosis oriatur in Lue Gallica in thecis venarum jugularium oritur compressio, hinc abscessus ferosi, aquosi, purulenti, mucosi, sebacei, scirrhosi, lapidosi, steatematosi, ossei eundem effectum producunt.

γ. Si quis v. g. stomachum nimis impleat cibis, tum stomachi arteria comprimitur, imo ipsa aorta, unde gravitate capitis homo laborat, & inde Apoplexia, quia circulatione interius impedita major copia & velocitas sanguinis ad cerebrum datur, unde ejus compressio.

δ. Hoc apparet in suspensis, in quibus venæ jugulares comprimuntur, apparet quoque,

quando tumores strumosi ad glandulas salivales comprimunt venas jugulares. Multis contingit, dum frigus externum accedit, quod sanguis erumpat ex naribus, quia sanguis tum fit compactior, & hinc tanto majorem vim infert, sed hinc omnes homines laqueo suspensi Apoplectici moriuntur, nam in ipsis laqueis respirant. hinc carnifices eorum nares & os obstupant, ergo quidquid externe caput comprimere potest, facit Apoplexiam, hinc compressis venis jugularibus statim fit Apoplexia, unde si modo utraque vena interna comprimatur, statim strangulatur homo, ut accidit suspensis, qui omnes nempe Apoplexia moriuntur, quia sanguis à cerebro redire non potest; hinc genæ rubescunt, livescunt, labia fiunt retorrida & sic moriuntur; si strumosi tumores occupent loca circa hasce venas utique homo per Apoplexiam mori potest.

3. Omnis humor, qui intra cranium & duram Matrem, intra hanc & piam, intra piam & corticem cerebri affusus hoc facit; hinc plurimi fiunt Apoplectici ex Hydrope cerebri, id est, venæ resorbere non possunt aquam vaporosam, quæ intra cerebri thalamos semper exhalat.

4. Cerebrum facit quatuor cavitates, quæ sunt rore impletæ & in ea plexus choroideus suspenditur, qui est congeries vasorum sanguineorum lymphaticorum & glandulosorum ut *Clarissimus Ruyschius in Tabulis suis* optime demonstravit, hæ cavitates sunt conservatrices sanguineorum vasorum, ibi positus plexus choroideus, & membrana ad cerebrum sunt positæ, ne illa vasa comprimerentur, si tale vas rumpatur, liquidum cadet in cerebri cava, unde ille humor effusus totam cerebri molem com-

comprimit; *Boayle* Gallus Medicus optime descripsit hujus Apoplexiæ causam, dicit enim esse acrimoniam atrabiliariam vasis ruptis inter cerebri ventriculos ortam, cerebrum comprimentem. hoc sæpe verum est, sed non semper, ut ex prioribus appositis exemplis patet hinc in eo curavit, quod omnem Apoplexiam ab hac acrimonia oriri voluerit, sumsit enim unam causam pro omnibus. *Drelincurtius* plexum choroideum ruptum se vidisse testatur.

Atrabiliaria. Hoc vidit *Hippocrates* in sua Praxi, nam illa rupta sursum materies erodit vasa cerebri, hinc sanguis effunditur, unde videmus sæpe homines Maniacos, qui in initio furebant, postea mori Apoplecticos.

5. Si Crocus in loco calido clauso detur, reddit hominem Apoplecticum solo odore, sed an non hæc medicamenta inspissando, comprimendo, rumpendo, an vi sua in pulmones agant, dubito, hinc in dubio sum, quonam hæc referre debeam, censendum tamen eadem nocere posse primo potius pulmonibus quam cerebro, nam pulmo à venenis stricte contrahitur, ut nil sanguinis à dextro ad sinistrum cor venire possit; hinc multa venena in pulmonibus agunt eos ita corrugando, ut sint inhabiles explicationi, vel humores pulmonum inspissando, vel vasa constringendo, ut non transmittant; est antrum in Italia supra quod si vivi canes suspendantur, moriuntur, sed si statim postea supra aquam frigidam suspendantur, reviviscunt, & quidem ideo, quia sanguis versus cor determinatur. Videtur, quod in hoc casu pulmo spasmodice contrahatur, fit enim per hoc antrum idem, quod per Sulphur exhalans vel accensum. Quando mustum

magna copia in dolio vehementer effervescit, si quis tum nares admoveat foramini & vaporem tum inhauriat, Apoplecticus statim cadit, idem qui versatur in loco, ubi multum musti est repositum in Parapoplegiam incidit. Causæ sequentes Apoplexiam producere etiam possunt, nempe tumor cranii externo sanato, consueta narium hæmorrhagia suppressa, Venus nimia præsertim in senibus; nimius oculi ictus, indeque valida capitis & cerebri concussio; causa etiam aliquando est, si quis ex fenestra, vel à tecto, vel ab alta turri in terram cecidit, ut cranium depressum sit, & subjectum cerebrum premat.

§ 1003. Hæc omnia inveniuntur apud omnes inspectores cadaverum, optime apud *Bonetum in Sepulchreto Anatomico*, *Carolum Pisonem in Tractatu de morbis colluvie serosa ortis*, ibi patet semper in Apoplexia adfuisse has causas, dein observatio historica antecedentium, concomitantium & consequentium Apoplexiæ multum lucis attulit, eademque confirmavit, vix aliorum scripta in curatione Apoplexiæ aliquid præstant, quia semper universalis cura præscribitur, quæ impossibilis est, sed pro quinque classibus diversarum causarum diversum quid præstari debet; hinc omnia, quæ hic dixi de causis Apoplexiæ, firmari possunt exemplis; causa proxima Apoplexiæ est impeditus trajectus spirituum cerebri, sed causæ remotæ sunt infinitæ, quæ tamen omnes ad has quinque reduci possunt; si caput alicui percutiatur, vertigine laborabit, vomiturbit & Apoplecticus fiet, in cranio post mortem aperto invenitur sanguis effusus; sed aliquando larga venæ sectio-

ne

ne instituta & strictissima diæta adhibita, adhuc curatur æger.

§. 1004. Medici olim putarunt, quod omnis Apoplexia à frigore & ab inertia oriretur, unde senibus adscribebatur, posteriores dixerunt, quod à plethora, postea quoque viderunt, quod à vino quoque oriretur, hinc vel pituitosa, vel inflammatoria, sed præterea serosa & atrabiliaria, imo ex ipso tumore cranii urgente versus cerebrum oritur.

§. 1005. In omni Apoplexia violentior est cerebelli tonus, quoniam motus cordis & motus respirationis non minuuntur, sed augetur in ipso malo; bos, qui cuneo percutitur, primo humi cadet, & jacet humi Apoplecticus, educta postea sanguinis copia, ut sensorium commune liberaretur, Apoplexia solvitur, animal se iterum movere incipit tandem educto sanguine Apoplecticus cum summo stertore moritur.

Parapoplexia est, si aliquid in sensorio communi supersit, in Apoplexia totum sensorium commune afficitur, quod est omne in cerebro, ubi post corticem medulla fit, hinc ibi concipimus totam corticem vel medullam ita esse compressam, ut nil transire possit; in Parapoplexia non integre sed valde læditur sensorium commune, tunc cerebrum nondum totum est clausum, sed fere, quædam actio sensus & motus est superstes cum magna difficultate, ut in dormientibus, sed si per arterias nil transeat, totum perfectum erit affectum, unde cerebrum prius illæsum tandem etiam obruitur.

§. 1006. *Destructis.* Quia hæ duæ functiones exercentur per nervos non à cerebro, sed cerebello ortos, at hoc durius ac nullis cavitati-

bus

bus est donatum, hinc difficilius efficitur; motus animales oriuntur à cerebro, vitales à cerebello.

Decrescunt. Arteriæ ad cerebrum vadunt majores quam ad cerebellum, adeo ut cerebrum triplo plus sanguinis accipiat quam cerebellum, jam si sanguis per cerebrum non transeat, tanto major copia per vasa vicina fluit, hinc plus derivabit & fluit per vicina & nervos cerebelli, hinc respiratio, stertor, pulsus major, & non pejor est in Apoplexia signum, quam si æger profundissime & magna vi respiret & pulsum habeat fortissimum, nam signat totum cerebrum obstructum & omnes spiritus fluere per cerebellum, hinc cerebrum hanc vim non diu fert, quin atteratur; in Apoplexia respiratio est aliquando adeo fortis, ut ad duas vel tres ædes sæpe audiatur: quo homo morbo propior, eo fortior respirat, & hoc in solo hoc morbo obtinet.

§. 1007. Magnitudo hujus morbi colligitur ex ætate, robusti non tam facile afficiuntur; temperies aquatica, atrabiliaria pessima, sanguinea optima, fabrica nempe caput majus, collum breve &c. pessimum; respiratio & pulsus fortis, violentissimus stertor & reliqua pessima; quibus spuma ante os vix unquam resurgunt, quia ex respiratione valida, sensuque abolito sequitur necessario magnus pulmonis attritus, detritus humoris investientis, & quia non sentit id tantum regurgitat, cerebellum solum agit; spuma viscida damnatur ab *Hippocrate* & habetur pro pessimo signo, quoniam est spuma ex contrito & deraso pulmone; sudor tenuis, frigidiusculus, pessimus, si morbus ortus sit à prægressa Parapoplexia ægrum

nun-

nunquam surrexisse vidi, si ex levi, gravis itidem pessima; (nam Parapoplexia vocatur Apoplexia, in qua æger vix magna vi excitari potest, quamvis iterum obdormiat) si ab Epilepsia oriatur est lethalis, non enim vidi exinde hominem exsurrexisse, nam denotat cerebrum jam modo per Epilepsiam esse destructum,

§. 1008. Si æger non stertat, tum sensus motusque non plane sunt aboliti, si spuma non adsit, tum causa est valde levis.

§. 1009 Vix alia Apoplexiæ, nisi per resolutionem est sanatio, nam suppuratio vel gangræna hic lethalis; hæc sequentia habentur in vera historiarum observatione, Apoplexia lenior abit sæpe sudore molli, leni calido, aut resolvitur urina copiosa, crassa, magna, alvi fluxu cum levamine non à deliquio spirituum; hæc sunt fere remedia, quorum aliquot vel multa simul peccant, nisi Apoplexia naturæ beneficio superetur. Si febris magna adsit in initio, & non, quando Apoplexia oritur ab inanitione, sed ab infarcta materia bonum est, *Hippocrates* ipse dicit, superveniens febris magna, id est, acuta in initio Apoplexiæ solvit morbum, si fit à lentore, sed non ab inopia spirituum. Medici putant quod tum nares sunt stimulandi odoriferis, crines evellendi sunt, qui præscribunt vomitoria in Apoplexia ex arteria rupta, male agunt, nam sunt exempla ex vomitorio dato arteriam fuisse ruptam. Quando legimus libros recentiorum facilis videtur cura, sed an exercuerunt, summopere dubito, sed sæpe pro Apoplexia habetur, quod Apoplexia non est, contingit, ut homo à temulentia Apoplecticus videatur, accedit urinæ fluxus, sudor &c. curatur, sed tum non est Apoplexia,

ve-

verum tantum vasorum compressio, quæ sanguine missione ilico curatur.

§. 1010. Ex centum Apoplecticis, qui sanantur, vix unus evadit à Paralysi aut unius partis aut lateris unius, parte cerebri ab uno latere obstructa, vel omnium partium sub capite solo capite libero, dum materia ex ventriculis abit per ventriculum quartum in medullæ oblongatæ membranam, hanc premens, hæ ens intra thecam vertebrarum, decem paria nervorum libera sunt; hinc Apoplexia semper aliquid relinquit vitii, & plerumque quædam ex his malis manent, sic in Duce belli summo & audacissimo Apoplexiam factam vidi ex itineribus & aëris injuriis, postquam resurrexit, fiebat instar pueri, vidi viros doctos ante jam Apoplexiam perpessos plane pusillanimos.

§. 1011. Attrito cerebro nihilominus tamen arteriæ carotides vertebrales sanguinem afferunt, qui non per cerebrum, sed fere omnis per cerebellum trajicitur, illudque tunc violentiori motu atteritur, quod mortem infert, neque enim homo prius moritur ab Apoplexia, quam destructo jam cerebello, homo in Hemiplegiam cadens, primum sensum sinistri lateris amittit, postea & alterius, homo tamen mente constat, malum hic pergit, & cadit in Paraplegiam, tandem in Apoplexiam, ac ultimo in ipsam mortem, sanguis enim comprimit dimidiam cerebri partem, tunc totum cerebrum, ac tandem cerebellum. Periculosus admodum hic morbus est, quarto die plerumque necans, imo perfecta Apoplexia rarissime sanatur, in senibus tamen longe pejor est quam in junioribus; si in Apoplexia stertor adsit, suffocatio est in propinquo, sic si Apoplexia fortis,

tis, quæ totum prohibet ſpiritus commeatum; cita mors venit; ſi febris enim progreſſo morbo ſuperveniat, eſt peſſimum ſignum, ut docuit *Hippocrates*. Apoplexia lethalis eſt, ſi reſpiratio præcluſa eſt, quæ neceſſaria eſt vitæ noſtræ, ægri ſuffocatio. Hic generaliter eſt annotandum, quod omnis Apoplexia ſit morbus acutiſſimus, periculoſiſſimus & difficultatibus plenus; fortis admodum exiguam de ſalute ſpem relinquit & vix ullam; levis tamen aliquam ſpem reliquam facit ſecundum *Hippocratem* dicentem: *ſolvere Apoplexiam vehementem quidem impoſſibile: debilem vero non facile.* Quos ſubito & inopinato invadit, nihilque de vehementia remittit, illorum vitam brevi terminari idem ipſe obſervavit, quum ait; *Quibus ſanis dolores derepente fiunt in capite & ſtatim muti fiunt; ac ſtertunt; in ſeptem diebus pereunt, niſi febris apprehenderit.* Hic multi ſeducuntur, putantes, febrem Apoplexiæ ſupervenientem bonam eſſe, ſed longe opinio illos fallit, & ad avos deducit, nam ſi quid boni aliquo in caſu ex contingenti proveniat, minime pro regula habendum atque uſurpandum eſt, quum ferme ſemper ſit peſſima, ut idem ipſe *Hippocrates* ait: *Apoplexia repente oborta ſolubilis, adveniente lenta febre mortifera eſt.* Reſpirationem maxime laborioſam in forti Apoplexia cum inæquali & intermittente pulſu præſentiſſimum periculum præſagire docet idem Auctor, reſpiratio enim inter omnes animales functiones quum maxime neceſſaria reputetur, ita ut vita auferatur, ubi illa penitus ablata fuerit, ſane periculo carere haud poteſt. Apoplexiæ ergo, præſertim fortiſſimæ, ne curam facilem temerario auſu jactet Medicus, nec

etiam

etiam ſtatim deſperet, ſed interim ægrum haud plane negligat, omniaque tentet, quæ hoſtem irruentem arcere & jam in ipſa penetralia prolapſum repellere valent. Obeſis & pinguibus, ſi Apoplexia contingat, raro ſanantur. Apoplexia ſenibus familiaris & ætati conveniens eſt, Apoplectici autem fiunt, maxime ætate ab anno quadrageſimo uſque ad ſexageſimum. Ut & illis, qui frequenter gravi obruuntur ſopore cum capitis gravitate, languore inſolito, oculiſque turgentibus, & quibus frequentes tenebræ oculis offunduntur, & qui anguſtam habent cervicem. Sudor frigidus in fronte peſſima, imo lethale, & ſi ſudor à ſpiritus anguſtia prorumpat. Arteriis carotidibus aut cervicalibus exorta Apoplexia incurabilis eſt; eadem eſt ratio, ſi ſpinalis medulla abſciſſa fuerit. ſternutamentis fortiter provocantibus adhibitis, ſi æger non ſternutet, neque impreſſionem ſentiat, vulgo pro mortali habetur ſigno. Qui ex Apoplecticis paulo gravioribus, ſuperata cauſa periculum mortis effugiunt, illi in diuturnum plerumque morbum incidunt, Paralyſin nempe unius vel alterius lateris, unde Hemiplegia, ſubinde etiam totius corporis, unde Paraplegia, ſæpe idem illi memoriæ tantam jacturam faciunt, ut ne minimorum recordari valeant, unde ſoporoſi, hebetes, tremuli, vertiginoſi & puſillanimes remanent & vere repueraſcunt, nec ſane mirum, ſcimus enim corpus noſtrum ab objectis ſenſibilibus, ut in nobis fiat ſenſus, accipere mutationem in ſuperficie nervorum per attactum moti objecti excitatam, ubi requiritur, ut ea mutatio libero nervo propagetur uſque ad aliquem in cerebri medulla locum, à ſingulo quoque nervo in ſin-

singularum medullæ cerebrosæ plagam, ut pro varietate objecti, pro diversitate nervi affecti, pro discrimine fabricati organi sensus, pro variatione loci in cerebri medulla, unde ille nervus; pro vario gradu motus, quo applicatur objecti actio, oriatur in intellectu sentiente idea percepta varia.

§. 1012. 1. Si caput magnum, collum breve cordi propius cerebrum ergo validissimæ sanguinis impetui expositum magis] corpus obesum, pectus ita formatum, ut sanguis plerumque ad caput feratur.

2. Ex plethorica, cacochymia, atrabiliaria; hydropica, pituitosa materia prædicitur Apoplexia; hinc si videam hominem perfecte plethoricum in Æstate æstuante debacchari, tum prædicere possum, eum fore Apoplecticum.

3. Si plethorico accedat æstus, oritur rarefactio humorum, cerebri ergo compressio, etiam si cacochymico frigus, si atrabiliario motus sanguinis prædicitur Apoplexia.

4. *Scotomia.* Id est, tenebricosa caligo capitis. *Naribus compressis.* Hoc signum evidentissime videtis, quando homo diathesin habet ad Apoplexiam, cum naribus compressis respirare incipit, tum brevi erit Apoplecticus.

Incubus. Est terribilis compressio ad respirationem, quasi ab homine præfocarentur, quando æger non assuetus hoc morbo laborare incipit, indicatur, quod circa cerebri ventriculos sit materia vasa comprimens, sensus gravativus in pectore est à compressione cerebelli.

§. 1013. Ingens sæpe apud ægros inter Medicos oritur disceptatio, quidam dicunt esse Apoplexiam, quidam non, prout sensus & motus super sunt, hinc veri Medici distinguunt inter Apoplexiam exquisitam & non perfectam,

quas

quas ambas diversitates diximus & paulo ante in Parapoplexia explicavimus; legantur modo, quæ scripsit *Carolus Piso in Libro de Colluvie serosa.*

1014. Curatio autem, ut variæ sunt causæ, vario modo est restituenda & generalis id circo dari nequit, sed illa pro diversitate causæ distincte est proponenda.

Varia. Ad vas sanguineum in homine ruptum, nulla est cura (si Apoplexia succedat) aut cranium esset aperiendum & sanguis ex cerebri ventriculis educendus, non nego, quod vulnera ad ventriculos cerebri aliquando sunt curata, sed nemo hoc facere audebit, si Apoplexia à pituitosa materia sic infarciente corticem oriatur tum illa materia est dissolvenda, sed si serum sit inflammatorium, alia resolutionis via indicatur, ergo generalem methodum adhibere non possum, nam talis causa, talia requirit remedia.

§. 1015. Si ab aquoso & pituitoso humore oriatur Apoplexia, tum tentandum est, primo ut pressio glutinosi à capite omni vi removeatur, secundo, ut lentor in cerebro & in toto corpore attenuetur, nam humores sunt lentissimi, frigidissimi, ut non transfluant per cerebrum, nec segregentur spiritus, si hæc materia etiam ad cerebellum veniat, actum est de vita, hinc mihi est annitendum, ne in vasorum angustias prematur, sed ut avertatur.

§. 1016. Primo derivatione, secundo evacuatione, hinc patet non semper curari corpus senile, iners, frigidum, vix enim patitur has evacuationes, hinc non curatur, & ex centum talibus vix unus resurgit; evacuatio universalis in frigida constitutione raro convenit, hinc videtis, quam raro prodesse possumus.

§. 1017.

§. 1017. Patet ex hac paraphrago, unde integer liber conscribi potest, quod materia mucosa in capitis vasculis hæreat, quæ nec tolli nec propelli potest, ergo pressionem avertere curemus; si æger maneat in somno per tres quatuorve dies, tum curabo si possim, ne materia prematur, quæ stagnans levissime putrescit, tum si abducatur, non nocebit, hoc fit vapore, si æger toto corpore involvatur excepto capite intra stragula humida, si superne imminuatur, inferne aggregatur materies, hinc fotus & balnea similia inferne adhibemus; suctiones & epipastica ad inferiora, vesicatorium ex pulvere Cantharidum, Euphorbio, Castoreo, Camphora fermento acerrimo, aceto Rutaceo &c. frictiones in plantis pedum cum Muria acri aut loco hujus cum sale & aceto sunt optimæ. Fiant leves ligaturæ ad venas artuum superiores, sic venæ tumebunt, arteriæ sanguinem pellent, sanguis ibi accumulabitur, pressio ad caput minuetur, quod est magnum arcanum quorundam medicorum.

Valent. Dum derivant ad partes oppositas, ut à capite morbus avertatur, videtis, quod in omnibus his, ne unicam missionem sanguinis commendem, sed saltem derivationem, nam missio sanguinis tollet quidem pressionem, sed mucosum gluten auget.

Masticatoria. Quando Veteres videbant hominem in frigida Apoplexia, sumebant Pyrethum, inde faciebant pastillas, quas dabant masticandas, jubebant, ut exspuerent & sic derivabant. Sternutatoria ex sequentibus parata sunt optima.

℞. Sal.

℞. Sal. Vitriol. ʒj
Aq. Majoran. ℥j
Spirit. Lilior. Conval. ʒj
M.

Detur naribus attrahendum. Vel sequens pulvis calamo exceptus naribus inflertur. v. g.

℞. Fol Nicotian. ʒj
Semin. Nigellæ
—— Piper. albi ana gr. xv.
Hellebori albi
Castorei ana ℈ß
M. F. Pulvis.

Suppositoria quoque ad hostem hunc debellandum & profligandum parari possunt ex trochiscis Alhandal, speciebus Hieræ Picræ & Melle q. s. ad debitam consistentiam cocto. Nec non ex felle Tauri inspissato, succo Rutæ cum sufficiente quantitate Mellis Anthosati. Nunquam Cantharides plus juvant qnam hic, nam resolvunt mucum.

§. 1018. De vomitoriis cum aliis laudis encomio dignis viris quid sentiam, paucis sic accipito ; quum videam duas acies, suasores nempe & dissuasores ad latus utrumque meum confligantes, medium ut teneam iter ratio postulat, observatum enim illud est, aliquando à conatu vomendi nimium concutitur caput, unde materia altius impingitur, aliquando autem discutitur, igitur Scyllam evitantes, ne in Charybdim incidamus, attendendum puto ad sequentia signa : si nimirum Apoplexia fit à plethora, sed adsit nimius sanguinis motus, quod ex pulsu dignosci potest, si sit sanguine ex-

extravasato, aliisque læsionibus capitis à vomitorio esse abstinendum, si vero à pravo victu & sanguine viscidiore vel levior Apoplexiæ gradus sit, vel patiens non sit nimium adultus, tum commode adhiberi potest, modo virium ratio semper habeatur; si enim æger satis validus sit, valida etiam danda, nam: *durus nodus, durum requirit cuneum*; sin contra æger sit valde debilitatus; cavendum est præsertim, ne recidiva oriatur; extra paroxysmum vomitorium utilissimum erit, idem censeo, appetitus prostratur, aliaque signa ventriculi læsi Apoplexiæ paroxysmum præcesserunt, tum quum morbi fomes in ventriculo sit, utique Emeticum est exhibendum. Emeticum vero in ipso paroxysmo adhiberi solitum est; Mercurii vitæ grana ij imponantur linguæ, ut cum saliva descendat, aut sensim deglutiatur; extra paroxysmum vero Tartarus Emeticus, aut vinum Emeticum exhibere utile erit; vel,

℞. Syr. Emetic. ℥vj
Aq. Cinnamon. ℥j
M. F. Vomitorium.

Detur pro una vice. Credo, quod nulla corporis actio sanguinem in cerebrum premat & cerebrum proinde distendat, quam vomitorium, ratio est, quia musculi abdominales & diaphragma contenta abdominalia validissime stringunt, tum aorta ascendens est compressa, hinc cor non potens eo momento sanguinem per aortam distribuere, sanguinem ad caput ferre cogitur, hinc facile oculi &c. sanguine turgent, si nunc hic pituitosa materia sit, tum vomitoria sunt optima; quæ sunt duplicia, alia

alia lenientia, alia commoventia; lenientia tuto adhiberi possunt, quia leniter pituitam educunt, commoventia vero pulsum imminuunt, ac respirationem difficilem reddunt, ad primas vias evacuandas propinentur statim medicamenta mitiora scilicet ex aqua tepida, aqua Hordei tepida, butyro, oleo simplici, syrupo Acetosæ, Oxymelle simplici atque Scillitico, semine Raphani Rusticani, & succo ejus & quædam alia.

§. 1019. Lentor est dissolvendus diluentibus vel attenuantibus vel circulationem augentibus, sed si lentiora dissolventia adhibeas, tum simul danda sunt talia, quæ ad inferiora determinant, aliter materia attenuata versus cerebrum vergit.

§. 1020. Licet nunquam talem Apoplexiam legerim curatam, ne æger videatur neglectus, tentanda tamen, quæ si ulla alia juvare possint, hæc instituenda sunt, statim instituatur venæ sectio, hæc non necat, vel sanat, Cantharides, Spiritus Salis Ammoniaci naribus applicentur, hæc vero nocent vel prosunt, saltem stimulant, clysmata juvant Frictiones cum pannis asperis, hirudines, cucurbitæ ad inferiora applicatæ sunt optimæ, simulque capillis derasis cataplasma antiphlogisticum capiti apponitur est hocce.

℞. Flor. recent. Absynth.
—— Alliar.
—— Rutæ
—— Abrotani
—— Scordii
—— Salviæ ana Man. j

M. Coq. cum Vino Rhenano vel aceto q. f. vase clauso sub finem adde

Nitri puri ℥j
Farinæ Lini q. f.
ut fiat Cataplasma.

Colatura, omissa farina Lini, pro fomento hic bono capiti applicando haberi potest, dein, hoc clysma acre ilico ingerendum est, vel simile.

℞. Fol. Tabac. ℥iij
Pulp. Colocynth. ℈j

Decoque in Aquæ pulviæ ℥viij
Sub finem coctionis adde

Nitri puri ʒj
F. Clysma.

Vesicatoria ad nucham & post aures ponantur, conveniunt optime Cantharides, tinctura Castorei vel Vini Alcohol, in quo Camphora soluta, temporibus aliisque capitis partibus affricetur. Pulvis sternutatorius ex Helleboro, foliis Tabaci &c. in nares infletur, vel seta hæ irritentur, ut sternutationes cieantur, & Spiritus Salis Ammoniaci iis admoveatur, in æsophagum injiciatur Sal Volatile Oleosum, tincturæ Castorei, Spiritus Cornu Cervi, fuliginis. Ad capitis roborationem etiam fieri possunt sacculi in forma pilei ex herbis cephalicis, Salvia, nempe, Roremarino, Majorana, Ruta, ex floribus Lavendulæ; Lilior. Convallium, Stæchados Arabicæ, ex Caryophillis aromaticis.

§. 1021.

§. 1021. Ante omnia incumbendum est Medico, ut rite pensitatis signis naturam præeuntem sequatur ducem, & ubi necessitas exegerit molientem, sed inertem adjuvare, ut si æger sit plethoricus, obesus, pinguis, optimo cum corporis habitu, nullis prægressis morbis conflictatus, attritus & debilitatus, illico venam pertundere imperet, nam ut ex observatis constat, & ut una fidelia duos dealbare possimus parietes, sæpe una venæ sectione totus debellatur morbus, imprimis si tempestive Medicus advocatus fuerit; at scrupulum forte mihi injiciet *Cornelius Celsus* cum dicat, *si omnia membra vehementer sint resoluta, sanguinis detractio vel liberat vel occidit*; sed pace magni illius viri, vix ut ei hac in parte assentiar, inducor, quum Apoplexia è medio sublata, an venæ sectionis neglectus, vel adhibita venæ sectio necaverit, ignorem; nam si certissima signa in hoc morbo venæ sectionem imperarunt, prudenti manu & tempestive adhibitam, tamen morte peremptus abiit, vix auderem asserere, quod neglecta venæ sectione vita superstes mansisset, è contra si in altero signa prohibent & negligitur, quod adhibita venæ sectio à morte vindicasset; ubi tamen (ut opinor) laudatus Auctor suo illo dicto inculcare vult, sanguinis in Apoplexia missionem non debere fieri regulam generalem, ita ut sive suadeant, sive dissuadeant signa, ad eam tanquam ad sacram anchoram confugere debere, sed prius tentatis tentandis, tandem satius esse anceps (secundum eundem) quam nullum experiri remedium. De hac venæ sectione in Apoplexia adhiberi debita, multæ inter medicorum filios exortæ sunt quæstiones, quarum præcipuæ hæ sunt 1. an in omni

Apoplexia debeat institui? 2. an statim antequam aliud quid agatur; 3. an contra post clysteres injecto? 4. an venæ sectio debeat esse larga? 5. an venæ jugulares secandæ? an brachiorum? an pedum? Ad quæ omnia sigillatim respondere quum supervacaneum esse putem, quod experientia ac auctoritate celeberrimorum medicorum exploratum est, generaliter paucis sic accipito. Si Apoplexia sit sanguinea, venæ sectio omnibus aliis remediis præferenda, eaque (habita tamen ætatis & virium ratione) satis larga; si vero pituitosa fuerit, non semper quidem, sæpe tamen utilis videtur, imo necessaria; si enim Apoplexia bene sano adveniat, vix dubium videtur, an venæ sectio prohiberi possit, imo ut larga sit, oportet; in cacochymicis vero, somnolentis, languidis, & qui diu cum mala valetudine conflictati sunt, aut est omittenda, aut avara manu erit instituenda. Simile quid de iis quoque censeo, quibus jam prævaluit morbus, morsque præ foribus adstat; nota deinde si Apoplexia à vulnere capitis, depressione cranii, ebrietate, casu ab alto oboriatur, utique venæ sectioem necessariam & utilem esse.

§. 1022. Si vero Apoplexia oriatur vel à nimio motu vel sanguinis rarefactione. Si morbus mortem portendat per Phænomena & signa, quidni mittatur sanguis? si corpus ante sanum, penitus plethoricum, temperie calida præditum, cibis potibusque calidis usum, valde motum, valde ab illo motu rarefactum & calefactum non pulsu validissimo & recens sit malum, tum venæ sectio est instituenda è brachio vel alio loco, sive ex majoribus venis, imo jugularibus, quæ venæ sectio pro re nata repetitur: post hanc enim, si homo sanus evadat,

statim

ſtatim levamen oriri ſolet, larga manu ſanguis eſt mittendus, hoc enim animadverti debet, utilius ac tutius eſſe, non una vice mitti debere, ſed per vices, intra tamen paucarum horarum ſpatium. Sæpe oritur Apoplexia plethorica nullo vaſe rupto, ſi ſanguis ita impleat caput, ut cerebrum & canales medulloſi ſint compreſſi, hinc ſanguine miſſo minuitur cerebri compreſſio ſtatimque æger reſurget.

2. Parata venæ ſectione purgans antiphlogiſticum propinetur ægro & ſi opus fuerit repetitis vicibus, doſi aucta adhibendum, ut alvus ſervetur libera, materiaque derivetur ad inferiora: hoc autem optime procedet, præſertim in Apoplexia pituitoſa, ubi nec nimia ſanguinis copia, nec nimius motus adeſt, in hunc finem optime ſunt Agaricus albus, folia Sennæ, Rhabarbarum, Tamarindorum pulpa, pa, Manna, Caſſia, radices Mechoacannæ, Jalappæ, & multa alia purgantia, ſic ex his formulæ præparantur ſcilicet.

℞. Fol. Sennæ Mund.
Tamarind. ana ℥j
Agaric.
Rhabarb. ana ʒj
M.

Macera in aqua pluviali ſpatio ½ horæ dein lenis fiat ebullitio ſpatio ⅓ horæ, tum colaturæ ℥viij admiſce Nitri ʒj doſis ℥j aliquoties de die ſumenda, ut alvus per aliquot dies bene laxa ſit.

Vel

℞. Agaric. albi ʒj
Tamarindi ℥j

Rhei elect. ʒij
Sal. Polychrest. ℈iij
Rob. Sambuci ℥jß
Syrup. Cichorei cum Rheo q. s.
M. F. Conditum.

Capiat unciam unam omni hora, donec purgetur satis fortiter. Si autem hæc purgantia, non satis cito operentur, clysteres acres fortesque injiciantur ter quaterve de die, quæ præparentur ex foliis Origani, Hyssopi, Calaminthi, Lavendulæ, Rutæ, Tabaci, Centauri minoris, Majoranæ, Serpilli, Salviæ, Asari, vel ex pulpa Colocynthidis, Hellebori nigri, Rorismarini, Origani, ex floribus Stæchados Arabicæ, Liliorum Convallium, radicibus Aristolochiæ rotundæ, Imperatoriæ, Pyrethri, & seminibus Carthami. His ipsis clysteribus commode etiam addi possunt Salia Volatilia, ut penetrent, & exsuscitent ægros, inter quæ salia eminent, Sal Gemmæ. Sal Ammoniacum, Sal Nitri, Sal Volatile Succini. Exempli gratia.

℞. Fol Calaminth.
— Tabaci
— Rutæ ana M. j
Pulp Colocynth ʒj
Coq. in s. q. Aquæ puræ ad
Collaturam unciarum x.
Admisce Sal. Gemmæ ℥ß
Mel ℥ij
F. Clyster.

Deinde maxime est cavendum, ne nimia corporis impletio, nec appulsus ad caput magnus fiat, nam vasa semel nimium dilatata, facillime, ad sanguinis appulsum paulo majo-

rem

rem, in eundem statum morbosum reducuntur: æger porro caveat in posterum illos errores, quos sibi tam male cessisse jam expertus est & similes alios.

3. Ingens præjudicium est, quod in Apoplexia medicamenta acria requirantur, contrarium obtinet in hoc, ubi refrigerantia & motus sedantia principem obtinent locum, quam male faciunt illi, qui Principibus balsamos Apoplecticos dant & Castorea, utpote qui ut plurimum Apoplectici fiunt à potationibus.

4. Ut sunt balnea perpetua, epispastica ex Galbano, Allio & Cæpis.

5. Victus sit tenuissimus ex diluentibus & emollientibus, ut jusculis carnium, insulsis, avenaceis, imo Pullorum, Columbarum, Gallinarum, Caponum, Turdorum atque ex omnibus generibus avicularum, nam in Principio Apoplexiæ diæta tenuissima est imperanda; quia morbus est acutissimus, potus sit vinum acidulis dilutum vel ex decoctis Sassafras vel visci Quercini, vel Vinum, cui radix Chinæ est injecta; abstineat æger à Vino forti, imprimis à spiritu Vini, item ab aqua frigida nullis herbis medicata & ab omnibus Opiatis.

6. Stimulantia fugienda sunt &c. Locus in quo commoratur æger, sit modice calidus atque frigidus; cubiculum, in quo æger degere consuevit, non depressum sit, nec angustum, nec humescens, sed pervium & perflatum, temporibus humidis, nebulosis, frigidisque alterari interdum poterit aër herbis calefacientibus, odoratisque cubiculi pavimento stratis, ut Lavendula, Majorana, Salvia, Roremarina, Serpillo, Thymo, corporis exercitatio moderata esse debet, & quotidie quantum fieri potest,

continuari. Somnus & vigilia nimis protracta magnum incommodum afferre solent; ut enim somno mediocri reficiuntur vires, ita largiore torpescit corpus, præcipue vero cerebrum, nimia vero vigilia corpus marcessit, spiritus absumit, somnus sit longus, is tamen metuendus pro consuetudine, vulgo septem horis determinatur in junioribus, in lenibus vero octo horis; a Venere nimia abstinentia atque ab animi pathematibus sive quæ ad tristitiam nimiam sive gaudium disponunt; decubitus in lecto sit maxime declivis & supinus, nam si in ullo morbo positura juvat, est certe in hoc morbo; sic sæpius tales ægros curavi, ut eorum functiones integre restitutæ sint.

§. 1023. Hic multum promittere non possumus.

§. 1024. Nunquam despero de hac re, hæc mea credulitas multis ridiculo videtur, sed quia vidi integras libras sanguinis effusas resorptas, hic quoque desperare non possum, sed non dico me certe sanaturum, v. g. homo est assuetus omni verno tempore habere evacuationes per nares, pone nunc eum caruisse, pone in Apoplexiam incidere sine ulla causa, nonne credibile, quod ille sanguis ruperit arteriam in cavitatibus cerebri; homo inde moritur, sed an nil spei superest? si fiat ingens evacuatio, cur non rapi possit in venas hærentes in mirabili spongiola puta plexum choroidæum, ergo instituatur ingens venæ sectio, non enim hoc occidit hominem, qui fato est destinatus.

§. 1025. Hæc est Apoplexia, quam sæpe vidi abiisse, rediisse, tandem necasse, hinc plerumque illi ægri exstinguuntur; si semel hanc observavimus, cogitemus aquam in cava ventri-

triculorum esse extravasatam, hinc aquosa vitanda, quia augent; Hydragoga danda, uti resina Jalappæ addito Scammonio. Vesicatoria plerumque lympham evacuant, setacea, fonticuli verbo dixerim, quidquid lympham minuit, tollit malum. Quia hæc Apoplexia est frequentissima, quidam Auctores putarunt omnem Apoplexiam ab hac causa oriri, in quibus est *Egregius Piso*, quia vidit sæpissime ortam a Colluvie Serosa, dixit semper inde oriri, sed hoc non verum est.

§. 1026. Remedia huic malo non inventa sunt, aliter tot curationes quot causæ variæ.



Catalepsis.

§. 1027. Post Apoplexiam sequentes morbi facile intelliguntur, Catalepsis vox similem insultum notat, ut lictores furem subito, nec opinanter comprehendunt vel latrones viatorem. Catalepsis est, si quis subito omni sensu privatur, & dein pertinacissime retinet eum corporis statum, quem habebat eo momento, quo morbus accedebat, e. g. si ambulet, pergit ambulare; si sedeat, manet sedens &c. hinc non est absoluta quies, sed omnia manent, ut in initio invasionis, omnes musculi in eodem statu manent.

§. 1028. Ergo nervosi spiritus sic incidunt in musculos, & in sensorio communi manet eadem determinatio, hinc intelligitur tota ratio Catalepsios; ut si vellem quid arripere & ordinate fieret reprehensio, me invito. Omnes Medici hunc morbum posuerunt maxime inexplicabilem, & revera ejus intellectus non facilis est.

§. 1029. Tantum involuntariis musculis; omnes functiones cerebri læduntur, omnesque quæ inde pendent actiones, nam Cataleptico omnes sensus & motus corporis pereunt, soli musculi manent tensi, ut in initio, sola respiratio & pulsus supersunt, sed plerumque leves.

§. 1030. Hoc sæpe oritur post febrim Intermittentem Melancholicis & Mathematicis, qui sæpe in exstases inciderunt ex summis meditationibus, sic de *Francisco Viæta*, *Cardane*, *Isaaco Barrovio* scribitur, quod sæpe fuerint immobiles nec excitandi, si ambularent, pergebant, si sederent manebant, ut optime ex *Homero* descripsit *Virgilius*.

Obstupui, steteruntque comæ vix faucibus hæsit.

Subita trepidatio, & diuturna meditatio, febres validæ in sanguinolentis sæpe producunt hunc morbum, sed tum aliquando morbus non advertitur, sæpe jacent jam Cataleptici, quod cognoscitur; si adspiciant oculis immotis & ad interrogata non respondent.

§. 1031. Æger apparet sanus; in cadaveribus hoc morbo defunctis invenitur sanguis impactus in vasa cerebri.

§. 1032. Optime curatur, si sanguis è naribus largiter fluat.

§. 1033. Homines diu Cataleptici, sæpe tandem epileptici dementes, convulsi & Atrophici fiunt, vidi semel talem, quem opinabar vix tale esse malum, ei erat summa Melancholia, loquebatur, eram cum eo in convivio, bono animo erat, sed cum abiturus in limine stabat optima positura, valedicturus cum vel-

lem

lem colloqui, vocarem, pungerem, truderem, stabat, dicebant adstantes ei id sæpe fieri post $\frac{1}{4}$ horæ, redibant motus, & malum abibat, ille postea miserrime Atrophicus & labefactatus est mortuus.

§. 1034. Curo causam, symptomata aggredior variis stimulis, ut excitem Hæmorrhagiam narium, excito acria sternutatoria, ut Saccharum candidum cum Euphorbio, Pipere &c. balnea, hirudines, pediluvia, cucurbita & similia prosunt, vomitoria, sternutatoria, juvant, quatenus mutationem in cerebro producunt, sic & vesicatoria, fonticuli setacei agunt, humida diluunt, sed sæpe est tanta causa, ut superari nequeat, sæpe causa sublata curarur v. g. expurgata Melancholia sponte cessabit, unde orta Catalepsis.

Carus.

§. 1035. Κάρα est, quo *Hippocrates* indigitavit caput, hinc Carus notat simpliciter morbum capitis. Verum Carus differt ab Apoplexia parum, definitur hoc modo, quo paulo minor sit Apoplexia, sed Lethargo major, atque ipsum initium est Apoplexiæ: nam somnus est profundus, oculi fere semper clausi, quamvis excitentur, vix respondent, nec tamen perit sensus, quin sentiant, si purgentur vel vellicentur, atque respiratio fere adhuc semper est integra.

§. 1036. Curatio prima est, nempe adhibenda sunt discutientia, diluentia, situs corporis sit erectus cum victu tenuissimo,

§. 1037. Differt Coma ab Apoplexia, & dicitur

citur duplex esse, Coma scilicet *ἀγρυπνῶδες* Græcis vocatum, sive vigil, & coma *κωματῶδες* sive somnolentum. Coma vigil definitur, quod sit morbus in quo ægri clausis oculis decumbunt, attamen vix dormire possunt & levi attactu oculos aperiunt, iterum in insomnia cadunt, quia multas imagines credunt se videre, ita ut vigilare cogantur, delirium accidit cum immani capitis gravedine. *Galenus* hunc affectum medium constituit inter Lethargum & Phrenitidem, & *Typhomaniam* appellat, ex his patet, quod coma vigil sit tantum levis inclinatio in somnum. Coma somnolentum vero vocatur ac definitur morbus, in quo ægri somnum profundum habent, sine febre, in quo quamdiu excitantur, oculos aperiunt, vel ad interrogata respondent, mox iterum in eundem somnum delabuntur, quia illorum membra deorsum concidunt, mortuis similiores, quam vivis decumbunt. Coma vigil oritur, si una pars cerebri sit compressa, & per alteram tanto violentior oritur circulatio.

§. 1038. Lethargus derivatur à *λήθη oblivio* & *ἀργὸς* otiosus; hinc Lethargus est proprie morbus otiosus, in quo æger omnia obliviscitur; hinc est somnolentia perpetua cum oblivione sine febre à causa frigida, hi ægri rogati respondent, dein obliviscuntur, ergo est somnus profundior quam in Comate vigili; sed minor quam in Comate somnolento sine febre, cum delirio & oblivione omnium rerum.

Finis Quartæ Partis.

I N.

INDEX
RERUM & VERBORUM.

A.

C.

Icte-

Finis Partis Quartæ.